

II

DESIDERII SPRETI
RAVENNATIS
DE ORIGINE, ET AMPLITUDINE URBIS RAVENNÆ.



Eleonora Marsa Spreti inv: et del: *Gaspar Ginanni Sculp.*

DESIDERII SPRETI

HISTORICI RAVENNATIS

DE AMPLITUDINE, EVERSIONE,
ET
RESTAVRATIONE
URBIS RAVENNÆ

LIBRI TRES

A CAMILLO SPRETI

PAT. RAVENNATE, ET EQUITE
HIEROSOLYMITANO

IN ITALICUM IDIOMA VERSI, ET NOTIS
ILLUSTRATI.

Ad Inscriptiones ab Auctore collectas aliæ accessere ad Ravennam quoquo modo spectantes in tres Classes distributæ, quibus subiiciuntur

Variantes Lectiones, & notæ levioris momenti, quæ apud Auctores, qui eas referunt, inveniuntur.

Quæ majoris sunt momenti alterum Volumen complectetur.

VOLUMEN PRIMUM.

R A V E N N Æ

TYPIS ANTONII ROVERI APUD FRATRES FAVA

SUPERIORUM PERMISSU MDCCXCIII.

L. B.

CAMILLUS SPRETUS




QUUM primum mihi in mentem venit ut Commentarium DESIDERII SPRETI de AMPLITUDINE, EVERSIONE, ac RESTAVRATIONE URBIS RAVENNÆ mea cura, & impensis prælo iterum excudendum traderem, irrepsit confestim metus, ne quis me, non Operis dignitate, non Patriæ amore, vel publicæ utilitatis, sed privato ac peculiari potius affectu ad hoc consilium adductum, atque illectum suspicaretur. Cum enim præclarus Auctor inter Majores meos enumeretur, cumque haud modicam litterarum studio, ac labore sibi gloriam consciverit, verebar maxime ne quidquid fieret, quod ei honori esset, abs me factum videri posset, ut Familiæ novum decus, & ornamentum accederet, non ut Operis celebritati, aut Reipublicæ bono consuleretur.

Hæc tamen mecum ipse diu, multumque recogitans, adhibito etiam Amicorum judicio, eam tandem qualemcumque sollicitudinem penitus ex animo abigendam duxi. Namque inter eos, qui Ravennatem Historiam vel sum-

mis labiis attigerint, neminem prorsus latere arbitror, qualis quantusque fuerit DESIDERIUS, quem peregregium Scriptorem uno ore Nostrates prædicant, ex cujus veluti Sacro Antiquitatis thesauro Factorum, Hominumque memoriam fidenter excerpunt *Rubeus*, *Cornius*, *Carrarius*, *Fabrius*, *Amadesius*; ad cujus denique scripta, ubi de rebus agitur ad hanc Urbem nostram spectantibus, tamquam ad lydium lapidem se passim conferunt Eruditionis Amatores, Collectoresque.

Non is sum equidem, qui DESIDERIUM cujusvis vel levis maculæ expertem velim. Fateor illum ab *Agnello*, quem unum, dum scriberet, habere præ oculis, & sequi Auctorem potuit, aliquando deceptum, fateor ordinem cronologicum, quo series temporum, & rerum notetur, fateor quoque, si libet, puriorem sintaxim, & elegantiam dictionis in ipso interdum desiderari. Ceterum si, quod Horatius de *carmine*, hoc nobis liceat de *Historia* usurpare: *Ubi plura nitent non ego paucis offendar maculis*, non erit sane cur perantiquo scriptori parva hæc, & pauca succenseas. In eo quippe nitet Veritas, quod in historica narratione caput est, nitet accurata descriptio rerum, nitet demum, sin minus semper elegans, & venusta, matura certe, & gravis Oratio.



SERENISSIMO PRINCIPI

CAROLO THEODORO

BAVARIÆ DUCI

S. R. I. ELECTORI

COMITI PALATINO &c. &c. &c.



CAMILLUS SPRETIUS EQUES HIEROSOLYMIT.

PATRIT. RAVENNAT.

Desiderii Spretii Viri inter Atavos meos doctrina, & eruditione spectabilis praeclarum Opus cum adjectis a me ad communis Patriæ illustrandam Historiam Additamentis, in lucem

editurus, hærebam anceps, SERENISSIME PRINCEPS, cuinam illud inscriberem, qui virtutum præstantia, ac dignitatis amplitudine talis, tantusque esset, ut perennem, clarumque splendorem Operi offunderet, cuique simul in obsequentis, gratique animi significationem jure merito oblatum, & præ cæteris debitum videretur. Inter hæc vero, quocumque demum me verterem, tua mihi CELSITUDO solummodo obversabatur; quandoquidem sive ea, quæ modo abs te plurima, sive quæ a Majoribus tuis illustria, nullaque ætate delenda singularis beneficentiæ in Majores meos profecta sunt, mecum animo repeterem Argumenta, hoc unum perspicuè intelligebam per te Operi decus quàm maximum accessurum, & me, meosque nulli umquam magis debere quam Tibi, & regio Generi tuo. Et sane si virtutes, quæ in TE plurimæ, egregiæque emicant, inspiciantur,

prudentia nempe, sapientia prope divina, insignisque illa animi magnitudo, atque suavitas, quibus omnibus subjectos Tibi populos faustissimo regis imperio, & lætos efficis ac beatos, quas in Te Roma suspexit, quin & totus Orbis terrarum admiratur, quæ Deo denique, ac Superis ita placent, ut, dum tot, tantisque Europa universa se se jactatam fluctibus ingemiscit, tu ferme unus tranquilla conquiescas statione securus: si, quæ ad Subditorum spectant utilitatem abs Te vel facta, vel restituta conspicimus, ea cuncta sunt, MERITISSIME PRINCEPS, ut non laudes modo, sed humanum quasi captum exsuperent. Vix Sceptro potitus eras, Germaniæ, quæ magna ex parte acri bello divexabatur, lux per Te pacis effulsit, spemque jam præconceptam firmavit statim eventus, fœlicissimum Terris Palatinis rerum ordinem nasciturum, quo latè in

illis commercium, & opum abundantia floreret. Prætereo sapientissimas Leges ad juris tramites emendatas, substratas commeatibus Vias, institutum ad Juventutem in Litteris efformandam Leauterense Gymnasium, expeditam Navigationem, & quaquaversum firmatas negotiationis adauctæ commoditates. Prætereo erecta Burgy, Solingæ, Heidelbergæ, ac Francobdaly ad Miserorum, atque Ægrotantium levamen Collegia Chirurgica, & Anatomica, atque æs ferè immensum in Xenodochiis, Orphanotrophiis, ac Pedagogiis extruendis effusum, erectam Manheimensem Bibliothecam longè celeberrimam, Monacensem ædificatam, fundationem denique, dotationemque munificentissimam Accademiæ Theodoro-Palatinæ, quæ tot insignium Virorum doctrina Patriam, cæterosque illustravit. Sed hæc ea sunt, tantamque Celsitudini tuæ gloriam pariunt, ut quæcumque

Tibi inscribantur, atque in Clientelam, fidemque tuam commendentur Volumina, magnum adeo sibi decus adsciscere, ut ea, veluti res verendo Numini sacra, ac proinde permagni facienda videri possint? Demum si ad omnia, quæ ad me, meosque attinent, animus convertatur, integrum fere Sæculum elapsum novimus, ex quo Gentis Spretiæ progenies ab hoc meo Ravennati Stipite avulsa in lætissimam Bavariæ regionem devenit, ibique adeo bonis avibus sedem fixit, ut eam statim, qui CELSITUDINEM tuam antecesserunt, munificentissimi Principes & peramanter fuerint amplexati, & magnis tum domi tum foris honoribus exornarint. Hieronymus siquidem Spretius, ne cuncta persequendo Tibi molestiæ sim, Anno MDCLXXXVI. Serenissimi Bavariæ Ducis militaribus Copiis præficiebatur; Ejusdem nominis alter in hanc dein Augustam, quæ Impe-

rii tui caput est, Urbem primus Familiam deduxit, statuit, atque firmavit, Magnoque præcipuæ Maximiliano, & postea Carolo VII. adeo acceptus, ut præclarissimus Imperator illo non solum, dum vixit, familiariter uteretur, sed singularis præterea clementiæ munera effundere non abnuerit in ejus Fratrem Julium Parentem meum, quem sui, rerumque suarum apud Venetos Procuratorem, ac Sequestrum delegaverit. Et ne beneficiis erga nos vestris sit modus, illum ipsum Hieronymum cæteri a Carolo Serenissimi Electores mirificis Aulæ, ac militiæ muneribus augere, ac decorare non destiterunt; Tuque ipse, PRINCEPS AMPLISSIME, & illum quandiu inter vivos degebat, & Sigismundum demortui Filium, totamque ejus domum novis semper in dies gratiis cumulas, tueris, amplificas. Cum hæc autem ita se habeant, jam nemo est, cui non satis perspe-


ctum sit, voluisse me quidem Operis, quod Tibi humillimè sisto, honori consulere dum ad Celsitudinis tuæ Solium honestissimum illi perfugium comparaturus sum ausus accedere, verum etiam, & præsertim, hoc permotum fuisse consilio, ut Tibi pro tam eximiis in nos benefactis aliquod grati animi specimem exhiberem: Exiguum, fateor, & tanti Principis amplitudini, ac Majestati longe impar. Illud tamen mihi animos adiicit, atque erigit; Maria scilicet ipsa repentes, ac parvos aquarum rivulos excipere; Quamobrem pro summa tua humanitate futurum spero, ut qui Spretiam Gentem benigno studio, atque opera hactenus prosecutus es, me quoque in tutelam tuam, & Munusculum meum qualecumque (etiam, atque etiam rogo, obtestorque) accipere non dedigneris.

VETERES, RECENTESQUE

SCRIPTORES,

E QUIBUS

VEL INSCRIPTIONES RAVENNATES, VEL NOTÆ IN EASDEM HAUSTÆ SUNT.



De Abbatibus Oliverius Hannibal.
Adamus Franciscus.
Agnellus Andreas.
De Albizis Raynaldus.
Amadesius Joseph Aloysius.
Amiani Pietro Maria.
Apianus Petrus.
Bacchinius Benedictus.
Baronius Cæsar Cardinalis.
Belgrado P. Jacopo.
Beltrami Francesco.
Bertelli Francesco.
Bertoldi D. Leopoldo.
Boldetti Marc' Antonio.
Bonamici Cavaliere Gianfrancesco.

Bouquet Martinus.
Cajetanus Octavius.
Ciampini Johannes.
Cigalinus Paulus.
San-Clementius Henricus.
Coleti Niccolò.
Colucci Giuseppe.
Contius Antonius.
Dal Corno Teseo.
Donatus Sebastianus.
Dinunda Elchreus.
Fabretti Raphael.
Fabri Girolamo.
Fabricius Fr. Gabriel.
Fantaguzzi Ms.
Ferri Giovanni Francesco.
Flaminio di Parma.
Ginanni Ab. Pietro Paolo.
Ginanni Conte Francesco.
Giornale di Pisa.
Gorius Antonius Franciscus.
Grævius Joannes Georgius.
Gruterus Janus.


Gualtherius Georgius.
Guastucci Gabriele.
Gudius Marquardus.
Kavina Petrus Maria.
Lazius Wolfangus.
Ligorius Pyrrhus.
Lipsius Justus.
Lucius Johannes.
Mabillonius Johannes.
Maffejus Marchio Scipio.
Malvasia Comes Carolus Cæsar.
Marchesi Sigismondo.
Marini Abbate Gaetano.
Montfaucon Bernardus.
Muratorius Ludovicus Antonius.
Norisius Henricus Cardinalis.
Paciaudius Paullus Maria.
Passeri Giambattista.
Pasolini Serafino.
Perucci Francesco.
Phoebonius Mutius.
Pinzi Abbate Giuseppe Antonio.
Rejnesius Thomas.

M. de Rogissard.
Rubeus Hieronymus.
Rubbi Andrea.
Sancassanus Dionysius Andreas.
Sarti Maurus.
Scaliger Joseph.
Sponius Jacobus.
Spretus Desiderius.
Tizzoni Sebastiano.
Tomai Tommaso.
Tonduzzi Giulio Cesare.
Turre Philippus.
Vecchiazzani Matteo.
Vetera Monumenta ad Clas. Raven. nuper eruta.
Villani Jacobus.
S. Vitalis Ms.
Ursatus Sertorius
Zirardini Antonio.

Quæ omnia, si cum iis comparentur, de quibus culpandum judices, tanta lux perstringet oculos, ut non modo libenter veniam, sed laudem illi tribuendam censeas.

Italicam Operis versionem hoc præsertim fine paraveram, & prælo subieceram, ut eam subsequeretur continuatio historiæ Ravennatis usque ad hunc diem producta, sed Inscriptiones, quas ille divino prope consilio nobis servavit, cum tot hujus vetustissimæ Urbis præclara monumenta deperdita frustra doleamus, & aliæ plures, quæ vel hic adhuc extant, vel apud Scriptores ad Ravennam spectantes reperiuntur, quæque in unum colligendæ, & illis addendæ mihi visæ sunt tamquam operis complementum, illarumque illustrationes, cum in diem crescerent, hunc locum occupaverunt. Quapropter propositum meum in aliud tempus distuli, & hanc continuationem seorsum edam.

Accipe igitur humanissime Lector, quæ Patriæ, & venerandæ Antiquitatis amore ductus profero, & si Opus Atavi placet, quod sane futurum spero, seri Nepotis Operam, & voluntatem æqui, bonique fac, & conatibus fave. Vale.



FRANCISCO MARIÆ FELTRIO
SERENISS. PRINCIPI
DE
RUVERE URBINI &c.
DUCI AMPLISSIMO DOMINO SUO COLENDISSIMO.

CENTESIMUS *jam agitur annus*, *cum* Desiderius Spretus *Latino stylo de antiquitate*, *ac dignitate urbis* Ravennæ *scripsit*, *ut eam partem sui ortus patriæ tribueret*, *quam ipsa sibi vendicarat*. *In quo munere ita diligenter*, *fideliterque veritatem spectavit*, *ut omnes*, *qui deinceps de hac civitate scripserunt*, *tam externi*, *ut* Leander Albertus, *quam nostrates*, *inter quos fuit* Joannes Petrus Ferretus *Episcopus* Lavellinus *vir singulari doctrina*, *variisque litteris eruditus*, *&* Hieronymus Rubeus; *cui paucos*, *ne dicam paucissimos*, *hac tempestate doctrina præstantes cognoscimus*; *ipsius* Desiderii *scripta sint secuti*: *Ipseque* Rubeus, *qui labore incredibili*, *&* *gravissima eruditione*, *latissime*, *ad hæc nostra tempora*, *Latine item scripsit de eadem re libros decem*, *non solum hac eum laude non defraudat*, *sed veridico*, *elegantissimoque elogio præclarissimis titulis extollit*, *atque commendat*: *tantique illum facit*, *ut cum proximis diebus* Venetias *se contulisset*, *ut decem illos Historiæ suæ* Ravennatis *libros*, *decem jam & septem annis* Venetiis *quoque impressos*, *&* *amplissimo*, *ac semper ab hac nostra Civitate*, *amabili*, *ac lacrymabili*, *Augustissimoque Cardinali* Urbi-

natium, *Celsitudinis tuæ patruo*, *dicatos*, *rursus prælo traderet*, *una cum Appendice posteriorum annorum*, *voluit etiam*, *rara*, *&* *plane honestissima nobilis animi*, *ac virtute præditi ingenuitate permotus*, *ut hoc* Desiderii *opus*, *ante prælo traderetur*, *ederetur que*, *quam suum : Ausi autem sumus*, *ego &* Pomponius *frater*, *nec non* Timotheus, *ac* Joannes, *qui omnes recta linea ab ipso* Desiderio *ab Avo nostro descendimus*, *Serenissimo Celsitudinis tuæ nomine hoc opus obsignare*, *atque illustrare*, *sperantes fore*, *ut quemadmodum summa tuorum majorum in nostram familiam semper fuit benevolentia*, *ita tu quoque non dedigneris benigne*, *ac hilari vultu accipere eam significationem ejusdem cultus*, *quæ nunc præbetur hoc edendo libro : qui licet per se exiguus est*, *tamen cum maximam præ se ferat nostram*, *in celsitudinem tuam*, *observantiam*, *sitque ejus auctoris*, *qui*, *uti dictum est*, *primus fuit*, *qui revocaverit ex altissima oblivione*, *amplitudinem hujus patriæ*, *&* *patefecerit ceteris aditum*, *qui post ipsum latius scripserunt*, *longe majorem haberi posse existimamus. Ipse ergo a celsitudine tua summopere contendo*, *nostrum omnium nomine*, *ut hunc benigno vultu accipere ne dedignetur : idque eo magis contendo*, *quod propinquis his meis placuit*, *ut ego perinde ac grandiore inter ipsos ætate*, *& quia* Romæ, *in istaque felicissima Ditione tua*, *& alibi*, *in familia amplissimi ipsius Cardinalis benigne ab eo*, *amanterque complexus*, *vixerim*, *hunc librum Celsitudini tuæ dicarem*, *ac dederem : Quod libentissime facio*, *Deumque Opt. Max. rogo*, *ut omnia Celsitudini tuæ fortunet*, *ac feliciter vertat ; Quod &* Spretorum *omnis familia precatur*.

Ravennæ *Kal. Junii M. D. LXXXVIII.*

Celsitudinis tuæ Serenissimæ

Humillimus Servus

** BONIFACIUS SPRETUS.

Bruni Giardini Civis, & Canonici Ravennatis.

Historia Spreti, tunc umbris condita, surgit
Nunc lucem præbens cuilibet arte sua.
Hanc omnes venerantur, ubique, ut gramina Solem;
Provenit ex cujus lumine quisque vigor.

Donati Monii Tornaniensis.

Quid post funereos rogos
Extentum Æacide Magnanimo Duci
Magno Anchysiadæ: fero
Regi Threicio: Sisyphidæ: & Phrygi
Ævum protulit Hectori?
Quo nostra hæc tetigit Græcia secula
Bello lethifero insolens?
Ad nos excidium quid lacrymabile
Urbis Dardaniæ tulit?
An non id calamo tu tribuas sacro
Vatum, qui ære perennius
Ipsum perpetuo quod retulit, facit?
At si quæ cecinit Maro,
Et quæ Meonides, non lubricum teret
Tempus: vita perennior
Te Desiderio sit patriæ tuæ.
Nec te ferre per arduos
Astrorum celebrem fama beatior
Desistet vaga limites
Nostri ingens decus, & gloria seculi.

Francisci Camerani Ravennatis.

Ut Spretas patriæ historias desideret omnis,
Has Desiderius Spretus ubique legit;
Munera quis Spreti spernat? spernendus at ille,
Qui putet a Spreto spreta legenda dari.

MAGNIFICO, AC CLARISSIMO DOMINO

NICOLAO FOSCARO

PATRITIO VENETO

JACOBUS FRANCHUS RAVENNAS

S. P. D.

Cum eam historiam, Vir magnifice, quam superioribus annis concivis noster Desiderius Spretus *vir, mea sententia, peritissimus, multaque & doctrina, & scientia præditus, de Urbis nostræ origine, ac de nonnullis ejus gestis eleganti stilo conscripsit ejus filius* Joannes Baptista *Jureconsultus haud incelebris imprimendam esset traditurus, me variis alioquin, multiplicibusque tum curis, tum etiam negociis districtum, maximo studio rogavit, atque adeo oravit, ut vellem prius hunc libellum diligenter recognoscere, deinde aliquando interesse, dum imprimeretur: nequaquam ignarus solere multa in libris ab impressoribus depravari, immutari, corrumpi, atque inverti. Quorum indiligentia non mediocrem Latinæ linguæ afferri jacturam utinam mea falso jactaret oratio. Homini ego amicissimo, quem unice diligerem, cuique me carissimum esse sentirem, non potui quicquam denegare, præsertim justa petenti. Itaque eam historiam accurate recognovi adhibito quantulumcunque in me est judicio, intermissisque interdum laboribus, & curis, quæ assidue animum meum & fatigant, & impediunt: dabam operam, ut adessem castigator, & eorum, quæ imprimebantur recognitor nequaquam indiligens. Ergo cum jam esset ad calcem operis ventum, cumque labori suprema manus imposita; cœpi egomet*

mecum cogitare , unaque Joannes Baptista , *cui nam potissimum ex amicis hunc librum mitteremus legendum , cui futurus esset non injucundus . Inter cogitandum autem succurrit , te eum esse , qui semper urbem nostram summo amore fueris prosecutus : nosque maxima charitate foveris , defenderis , tutatus , atque amplexus fueris . Te item cujus Avo* Venetorum *Principe existente Urbs nostra* Ravenna *fausto omine in* Venetam *venit fidem , ac ultro se Senatui vestro obtulerit , dederit , ac dedicaverit . De qua re latius apud hanc nostram historiam est legere . Te igitur unum ex omnibus Vir magnifice , simul & doctissime delegimus : cui hunc libellum duximus mittendum futurum testem , amoris , fidei , observantiæ* Ravennatis *populi erga te ac avum tuum quocunque tempore de nobis , ac de Repub. nostra optime meritum : cujus manibus nunquam desinet quisquam nostrum debere quoad erit vita superstes : Suscipias rogamus hanc historiam nostram libenti animo , & cum per ocium licet eam ne graveris perlegere . Videbis ibi , ac cognosces de* Ravennatibus *quos velim tibi persuadeas esse , futurosque perpetuo tibi , & tuis omnibus deditissimos . Inprimisque ego ingenium quantulumcunque est , operam , curam , diligentiam , mentem , totum denique me ipsum tibi polliceor , atque offero . Vale vir Magnifice ,* Jacobum*que* Franchum *tuum diligas .*

M. CCCCLXXXIX. VII. Calend. Septembris .



MAURI UGERII MANTUANI

AD

JACOBUM FRANCHUM
RAVENNATEM

ELEGIUNCULA.

F*ranche* Ravennatis pulcherrima gloria campi,
Qui colis Aoniam, Pegaseumque nemus.
Cui data de viridi musarum fronde corona
Pierio tinctas cingit in amne comas;
Nuper scripta tuæ primordia vidimus Urbis,
Et cultam doctis artibus historiam.
Conditor est Spretus, priscæ cognomine gentis,
Sed non spernendo nobilis ingenio.
Ille quidem longo seclis labentibus ævo
Mænia semirutæ restituit patriæ.
Non hæc longa dies, non hæc annosa vetustas,
Nec poterunt bombo frangere saxa gravi.
Hæc sine morte tui donant tibi mænia cives.
Quorum opera, ingenium, culta Ravenna foves.
Quod si nunc sapies *Franchum* quoque læta fovebis,
Atque erit in patria notior ille sua
Hic mihi crede potest tantum tibi tradere nomen,
Quantum Veronæ docta tabella dedit:
At tu; nam dirum est patriæ se auferre petenti:
Fac teneat summum *Franche* Ravenna locum.
Vale.

VITA
DESIDERII SPRETI
HISTORICI RAVENNATIS
SCRIPTA
A VINCENTIO CARRARIO
CANONICO, ET JURISCONSULTO
RAVENNATE.

* * * *
* * *

SPRETAM gentem inter *Ravennates* illas Patritii ordinis familias, quas in libellum elapsis annis digessi, nobilitate, opibus, majorum gloria, & dignitate vetustati conjunctis; sua, ipsam ornatam, virtute, non alienis conspicuam proprias laudes posse proferre, satis, superque omnibus compertum est. Nam in documentis, & monumentis, quæ tot depopulationibus, tot publicis, tot crebris privatis incendiis superfuerunt; ipsius familiæ nobilis memoria annos quadringentos attingere reperitur: siquidem *Talamon* & *Rudulphus*, *Arardi* filii anno millesimo ducentesimo trigesimo secundo vivebant. Ex *Talamone* autem natus est *Spretus*, qui anno MCCXXXV. floruit. Ex *Spreto*, *Arardus*, qui alium *Spretum* genuit cujus filii fuerunt *Arardus*, *Tamagninus*, & *Marcus*, a quibus omnes, quæ nunc *Ravennæ* vivunt, familiæ *Spretorum*, descendunt. Et quoniam ex scripturis, & antiquis monumentis *Ravennatibus* non reperitur hujus fami-

liæ origo, nonnulli perhibent ex *Germania* oriundam ut etiam affirmabat se legisse, *Bartholomæus Orsutius Lucensis*, Episcopus *Lavellinus*, *Rainutii Farnesii* Cardinalis Archiepiscopi *Ravennæ* suffraganeus: Quod ego puto verum esse, eo adductus, a duobus illius Provinciæ fluminibus, quorum unum SRE, alterum autem SPREDA nuncupatur, & ad eorundem ripas fluminum populorum & oppidorum frequentia, satis conspicuas habitasse. Suspicantibus aliis, unam, & eandem esse cum nobili *Felicina* item *Germana* origine, in præsentiarum *Bononiensi* familia. Quoniam ambæ vividam Filicem aurea in area gestent; quanquam *Spreta* montes tres albi coloris non differentiæ ergo, sed ut magis montes ipsi, in quorum cacumine est plantata, conspicuam ipsam Filicem reddant, & ostentent: Nemo autem est qui hujus Familiæ viros cognoscat & non laudet, & non miretur virtutem, constantiam, prudentiam, & genus denique eorum nobile, tum quoniam ipsa hæc familia *Spreta* tot honestata virtutibus, virorum semper virtute præditorum fuerit amans, & benefica, & pro patria sua in variis muneribus ac legationibus laboraverit, tum quia Matronarum quoque pudicarum clarissima, fertilis, & frequens, adeo, ut nobilibus *Ravennatium*, & externorum familiis fuerit, sitque affinis, sicuti fusius in nostris * *Romanæ* historiis, atque in familiæ hujus stemmate, illiusque historia diximus, ad quæ, ut brevitati studeamus, oratio reiiciatur. *Desiderius* igitur, hujus familiæ præcipuum decus, eo anno, quo *Constantiense* Concilium inchoatum est, qui fuit


* *Legendum* Romaniæ *sive* Romandiolæ, *quæ historiæ adhuc MSS. servantur in Bibliotheca S. Vitalis*, *&* *Classensi*; *apud Egregium Comitem Camillum Morigia*, *&* *in mea Bibliotheca*.

a partu Virginis quadragentesimus decimus quartus supra millesimum, ex altero *Desiderio* natus proficiens ætate, & moribus; vir fuit suo tempore eloquentissimus, & rerum, quæ ad jus attinent peritissimus, & nostræ Civitatis specimen, posteaquam ipse post *Andream Agnellum*, & *Gervasium Ricobaldum*, & alios antiquiores, qui minime extant, fuit, qui quadam animi actus pietate, originem, & antiquitatem patriæ nostræ, primus omnium ederet, quamobrem ei non parum debemus, quoniam in causa fuerit, atque aliis iter præbuerit: ad nostram Historiam fusius scribendam calcar optimum addendo: & hinc clarissimis *Venetis*, qui de more summos viros ac virtute illustres, benevolentia, beneficentiaque amplexantur quam maxima, & evehunt, mirum in modum carus, & inter alios *Jacobo Antonio Marcello* præcipuo viro, & ea tunc de Republica *Veneta* benemerito, cui dicavit partum illum, id est tres libros Historiæ *Ravennatis*, complectens quæ ad originem, & amplitudinem, ad vastationem, & instaurationem Urbis nostræ facere sibi visa sunt, eleganti stylo. Habuit in Uxorem *Andream* filiam *Masii Christiani Ravennatis* quæ familia *Christianorum* nunc extincta est. Genuit autem *Desiderius* ex ipsa *Andrea* Conjuge quatuor filios, qui fuere *Urbanus*, *Bonifacius*, *Joannes Baptista*, & *Hieronymus*. *Urbanus* Jurisconsultus, post amplas dignitates adeptas, Vicariatus in Patria pro *Bartholomæo Roverella* Cardinale Archiepiscopo nostro officium præclare gessit, eo demum in numero summorum illorum virorum, qui vulgo Rotæ in *Romana* Aula Auditores appellantur, delectus, morte præventus minime assecutus est: sed eum sequentes *Joannes Baptista*, etiam ipse Jurisconsultus, & *Hieronymus* Fra-

tres, Latinæ, Græcæque peritus, evaserant, & ita quod post mortem eorum patris, sæpe patriæ ornamento fuerint, cum tamen antequam *Desiderius* ipse vitam morte commutaret, *Bonifacius* qui operam quoque legibus apud *Patavinos* egregie navabat, vita fuisset functus, *Joanne Baptista*, & *Hieronymo* interea (ut in eorum apud me genealogia videre est) familiam propagantibus. Vixit *Desiderius* circiter annos sexaginta, omnibus carus, præcipue *Venetis* ipsis; in patria multum dilectus, & in filiis felicissimus, sicut ex hoc suo Hexastico, cognosci potest.

Descripsi postquam celebris Monumenta Ravennæ,
Et vidi Urbanum patribus esse patrem,
Baptistamque meum juris callere medullas,
Hieronymum lingua currere utraque via;
Ad se quam primum cœli regnator, & orbis
Hinc voluit celeri, me properare pede.

* * *



MAGNIFICO ET CLARISSIMO EQUITI

ARTIUM AC V. J. DOCTORI

VITALI LANDO

PATRICIO VENETO

PRÆSTANTISS.

DESIDERIUS SPRETUS RAVENNAS SE PLURIMUM COMMENDAT.

Scio vir Clarissime, Eques, ac Doctor insignis, quamlibenter pro singulari erga nos amore, tuaque eximia virtute, & doctrina, veteris Ravennæ *monumenta intelligere cupias. Quod & si antea tum maxime quum apud nos Præturam gereres ostendisti: in qua cum æquitate, tum justitia, atque facilitate tua, ita cives omnes allexisti, & tantis eos, ac Urbem prosecutus es beneficiis, ac ornamentis, ut tui apud nos memoria perpetua, immortalisque futura sit. Eam enim curam, atque diligentiam in reformanda decorandaque Urbe adhibuisti, ut nihil magis accurate factum a te dici possit. Sed hoc ipsum & multa, ac valde præclara tua facinora sileo, quæ non hoc essent brevi cursu, sed majori volumine complectenda. Sic enim ingenio, virtute, & gloria excellis, ut te uno in multiplici genere laudis possit ætas nostra cum majoribus certare. Verum*

cum tanto erga Urbem nostram tenearis amore; & te rerum nostrarum cognitio tantopere delectet, ne immeritò abs te fieri videatur, nuper quædam in archivio publico mea opera inventa, quo tibi jucundiora esse existimavi, eo lubentius, & audacius scribo; quibus olim Ravennates *cum* Venetis *fœderatos, ut in initio cum* Romana *Republica fuisse comperies. Anno siquidem ab adventu Domini millesimo ducentesimo sexagesimo primo* Rainerio Geno *Principe, uti scriptis fidelibus memoriæ traditum est, firmum* Veneti *cum* Ravennatibus *fœdus habuere. Quod &* Laurentio Theupulo *Duce firmiter innovatum, atque repercussum extitit. Cujus hæc imprimis fuit conditio: ut Vice dominus (sic eum magistratum appellant) a* Venetis *nostram in Urbem designaretur: neve quædam mercium genera e* Liguria, *aut aliis provinciis ad aliena loca* Ravenna, *nisi ad illius usum, aut* Venetias *portari transvehique possent. Verum cum ea prohibitione vectigalia, redditusque* Ravennatum *non parum minuerentur, ne hoc incommodo* Venetorum *amicitia ipsos afficeret, eodem jure, & æquo fœdere* Ravennatibus *certam pecuniæ quantitatem singulis quisque annis numerare tenebantur. Aliud quoque his scriptis memoriæ proditum est. In agro Ravennati Castellum. cui* Marchamo *nomen citra, & penes* Eridanum, *fuit: Loco certe, ut coniicio, mercatoribus, &*

convenis pro emendis, commutandisque mercibus aptissimo; his enim, qui oneratis e Liguria *navibus descendebant, iter erat expeditum res venales ibi vel deponere, aut* Ravennam *petere, hincque* Padum *superantibus ad propria turgidis sacculis remeare. Id oppidum a* Ravennatibus *conditum aliquando* Veneti *tenuere. illius vero regendi, ac custodiendi gratia duo ex nobilium ordine a Senatu* Veneto *in annum delegabantur: horum e numero fuere patritiæ gentis* Paulus Fuscarinus, *ac* Birutius Delphinus; *postremoque* Andreas Victurius, & Dardus Raimundus: *quibus tandem magistratum ibi custodiamque gerentibus amicè, uti constat, & pactione,* Marchamo *ad Ravennates rediit. Multa præterea, ut ex his monumentis apparet, sunt hinc inde fideliter, & constanter acta; multa & familiariter, & amicè ad invicem scripta, quæ firmam inter ipsos unionem, ac singularem benevolentiam exprimunt, & ostendunt. Hæc populo* Ravennati *bona, firmaque cum* Venetis *fuit amicitia, dum Civitas libera nullo tyranno, sed civibus regeretur, resque nostræ, non ex unius voluntate, sed plurimorum votis agerentur. Verum etsi tyranni Civitatem postea oppressere, necesse illis tamen semper fuit, quo civium animis satisfacerent, se eo jure cum Senatu* Veneto *habere, quo adstrictos nostri temporis homines, colligatos, atque commen-*

*datos appellant; non aliter dominium servaturi, nisi illius amicitiam tenuissent: Quod junioris O*stasii *gesta planè declaraverunt. Cujus tempore a tyrannide evasimus; & nostram ex animo deditionem* Veneti *suscepere, ut in majori* de Ravenna *Libro conscripsimus. Ista certe cum lectitassem non mediocrem animo cœpi voluptatem, atque lætitiam. Majoribusque nostris plurimum deberi fateor, qui talem posteris memoriam servavere. Vides itaque magnifice, ac splendidissime Vir, quanta semper fuerit erga* Venetos Ravennatum *benevolentia, atque fides. Quod si qui ex intimis præcordiis nos illis affectos, deditosque mirentur, mirari desinant, quando non nova, immo vetus sit, & fides, & amicitia innata nobis, & a majoribus tradita. Nam quod ab ipsis actum est, nobis & idem præceptum esse videtur: quæ enim laus est progenitorum bene gesta referre, & ea facto parvi pendere, quæ non tantum exæquanda, verum etiam si vires adsint multo superanda. Major enim majorum laudibus gloria, ac laus est semper addenda. Igitur si majorum gesta imitanda sunt,* Venetis *uti & sumus & volumus, fideles esse debemus. Sed non minor profecto* Ravennati *populo inest fides, atque constantia quam* Saguntinis, *ac* Massiliensibus: *qui ne a* Romanis, *uti legitur, deficerent, maximas, ac gravissimas calamitates telleravere: & tandem*

omnia potius extrema pati voluere, sui, liberorum, ac patriæ excidlum, quam hostium populi Romani *Imperium perferre. Nec ipse, ut existimo, de nobis aliter senties, qui nostrorum civium nosti affectiones, & corda. Habes jam, quæ nuper a me comperta esse dixi, & ut brevius potui excerpta, atque descripta, qui sicut antiquam* Ravennæ *amplitudinem, vastationem, & instaurationem, & alia permulta jam plane oblitterata, ad nostrorum cognitionem hominum deducere studui, ita quoque priscam ipsius cum* Venetis *amicitiam, & antiquum fœdus, ad te Virum quidem eruditissimum, atque amplissimum, qui* Ravennam *summo quodam semper honore & laude prosequeris, foves & extollis, scribere consilium fuit. Hoc igitur munusculum parvum profecto, tibi tamen, ut spero, haud ingratum, quod ab homine & animo semper tibi deditissimo proficiscitur, lubenter, ac benignè suscipias, rogo*



AD EQUESTRIS ORDINIS

VIRUM CLARISSIMUM DOMINUM

JACOBUM ANTONIUM MARCELLUM

PATRICIUM VENETUM

Non ſum neſcius, Eques illuſtris, quam grandem, quamque humeris meis imparem provinciam ſuſceperim, qui Ravennæ *Urbis antiquiſſimæ amplitudinem, qui vaſtationem, ejuſque inſtaurationem quam breviſſime recenſere decreverim. Quod arrogantiæ tamen haud velim adſcribas: Verum incredibili potius pietati, quæ me nuper ad patriæ reliquias inveſtigandas, proque ingenioli mei tenuitate illuſtrandas impegit. Quod ſane munus eo mihi libentius obeundum fuit: quo id majoris & jucunditatis, & operæ pretii fore legentibus animadverterem: ubi quis velut in ſpeculo quodam vices conſpicaretur humanas, diſceretque quam parum ſecundis rebus confidere liceat, quandoquidem Urbis ampliſſimæ cadavera, ac ruinas aſpiciet, nec deſperandum adverſis, ubi eandem illam hoc tempore in dies coaleſcere, ac revireſcere ſenſerit. Verum enimvero cum circumſpicerem quem potiſſimum donarem hoc munere, Tu oc-*

curristi, *Vir in primis amplissime*, *quem alterum ista in Republ.* Scipionem, *aut priscum illum tui generis Principem* M. Marcellum *audeo dicere*, *cujus ductu*, *&* *auspicio*, *ut cetera tua longe præclariora facinora sileam*, *nostra hæc civitas e crudelissimis tyrannorum faucibus ad augustum* Venetorum *descivit Imperium*. *Quod & si paulo post tuum hinc discessum contigerit*, *id tamen tua singularis industria*, *ac spectata providentia optimum quemque sublevando*, *ac pravos deprimendo*, *civiumque omnium benevolentiam alliciendo nimirum effecit*. *Qua ex re* Ravennatem *illum esse profecto negaverim*, *qui venerandum hoc* Jacobi Antonii *nomen suo in corde cælatum non habeat*. *Quo quidem munere nostro eo libentius te donare constitui*, *quo & laborum meorum judex existas*, *&* *amorem meum erga te præcipuum*, *&* *summam in* Venetos *observantiam*, *fidem*, *ac devotionem recognoscas*. *Accipies igitur Urbis hujus nostræ*, *immo vestræ*, *immo tuæ monumenta vetustissimis deprompta codicibus*: *Accipies & una hunc animum*, *qui dignitati tuæ semper ab ipsis*, *ut ajunt*, *unguiculis deditissimus fuit*; *qui nuper has lucubratiunculas nomini tuo veluti cuidam numini suo dicavit*: *quibus amplitudinem tuam plus sane splendoris*, *&* *nominis*, *quam ceterorum omnium*, *vel doctissimorum judicium daturam confido*. *Vale*.

DESIDERII SPRETI

RAVENNATIS

DE ORIGINE, ET AMPLITUDINE URBIS RAVENNÆ

LIBER PRIMUS

*****
****

Ravenna, Urbs antiquiſſima, loco quidem delectabili ſita eſt, atque agro ſane fertiliſſimo eorum, quæ ad uſum hominis pertinent, frumento ſcilicet, ac pecori quam maxime accommodato: alicubi vero ſaltuoſo, & aquis munito, per quem & amnes non exigui, & nonnulli pro mœnibus civitatis labuntur, ſuburbiaque diſterminant. Aliqui vero aliunde per agrum decurrentes, Adriaticum influunt mare: unde commode poteſt ſe interdum venationibus, & piſcatione exercere juventus. Plures autem, dum mare irrumpunt ea flumina, portus efficiunt. In primis ſpatioſum illud oſtium *Spineticum*. Quod nominis mutatione *Primarium* dicitur. Secundum illud *Pirotoli*. Tertium quod nunc *Sanctæ Mariæ in portu* denominatur. Quartum vero *Claſſicanum*. Quintum, quod *Gervaſium* plures appellare conſueverunt. Ex quibus permulta commoda, ac utilitates non mediocres incolæ capere poſſunt. Foſſam item habet navigia ferentem, quæ in Fluvium Eridanum derivat, per quam è Liguria, & ex alijs Italiæ partibus mercium, & multarum rerum copia Ravennam ratibus advehitur. Habet præterea Urbs

ipſa aerem ſatis humanæ naturæ convenientem, qui maiorem quoque in dies temperiem ſuſcipit: fuerat autem olim ſaluberrimus, ut antiquiſſimus orbis deſcriptor Strabo de Ravenna locutus his verbis memoriæ prodidit. *Cum a mari fiunt inundationes, non mediocrem accipit maris partem, adeo ut univerſa cœnoſitas, hinc fluctu marino, hinc fluminibus alluentibus, tetrum medicetur odorem. Hoc igitur pacto ſaluberrimus comperitur locus, unde gladiatoribus educandis, ac exercitatione erudiendis, hunc idoneum Laniſtæ locum deſignavere. Inter cetera ejus loci mirabilia, illud eſt, quod paluſtribus in locis, aer innoxius eſt, quemadmodum ad Alexandriam Ægypti, paludis vitium æſtate propulſatur propter amnis incrementum, ſimul etiam evaneſcente cœno.* Hujus autem loci ſalubritas L. Vitruvii in libro, qui de Architectura inſcribitur, ubi plures innoxii aeris cauſas affert, lucidiſſimo quidem teſtimonio comprobatur. Ceterum bellis vigentibus, atque hominum negligentia, ager ipſe partim paluſtris, partim dumoſus effectus eſt. Unde craſſis in aerem ſublatis vaporibus, priſca illa ſalubritas facile corrupta eſt. *Quid quod vitibus evenit*; ut idem ait Strabo, *quam admirabile? eas palus creat, celeriter perficit, & multum fructum edit* (*a*). Omitto pinus, & quædam alia arborum, & fructuum genera, quibus ſolus ager ille multipliciter abundat, quæ nec Liguriæ, nec Etruriæ, nec Piceni, nec aliarum fere Italiæ provinciarum ager uſpiam gignit. Et ne ſpatiari nimis videar, quam ab initio inſtituerim, omitto ſolatia, & oblectamenta plurima, quæ venando, aucupando, & piſcando ex paludibus, & toto Ravennati agro comparantur.

Nunc autem de nomine, ac origine ipſius Urbis dicendum exiſtimavi. Sunt enim, qui a ratibus *Ravennam*,

ſeu a navibus *Navennam* denominatam volunt. Nam Urbis conditores ad hæc loca ratibus vectos autumant, ſive *Rhevenna*, quod forte verius eſſe creditur, ob aquarum congregationem; ſic enim id nomen ſignificare volunt. A qua ſententia non diſcrepare videntur ipſius Strabonis verba, qui hunc in modum ſcriptum reliquit. *Intra paludes Urbs maxima Ravenna poſita eſt, tota ligneis compacta ædificiis, aquis diffuſa, pontibuſque, ac lembis peragrata.* Aliqui narrant ab Nembroth, filio Chus filii Chan ex Noe progeniti eam fuiſſe conditam. At quoniam id ſine annalium, ſcriptorumque auctoritate aſſerunt, ipſis minime aſſentio. Verum Strabonis diligentiſſimi ſcriptoris opinionem magis ſequor, qui eam a Theſſalis conditam fuiſſe teſtatur his verbis. *Ravenna a Theſſalis condita perhibetur: cum autem Tuſcorum injurias ferre nequirent, Umbros quoſdam ultro aſſumpſerunt, qui & hoc tempore urbem inhabitant; ipſi vero domum rediere.* Multi dicunt, quibus Plinius aſſentitur, oppidum poſtea fuiſſe Sabinorum, quos ante urbem Romam, & complures alias tunc conditas urbes, antiquos quidem potentes, armiſque præſtantes, ac opulentiſſimos, ſicut hiſtoriæ ferunt, comperimus. Qua vero tempeſtate, aut per quos nominatim viros talis, ac tanta Civitas fundata fuerit, quique illam ab initio habuerint, non ſatis compertum habeo. Aucta eſt autem Ravenna *Spinæ* civitatis vetuſtiſſimæ, ac opulentiſſimæ occaſu: & ab ea mirabile habuit incrementum. Ita ut apud Ravennates maris imperium extitiſſe, quod apud Spinenſes olim, teſte Strabone, fuiſſe legimus, non immerito ſuſpicandum ſit; a qua quidem civitate, & oſtium illud *Spineticum*, quod modo *Primarium* dicitur, denominatum, non dubitamus. Nam locus ibi quidam *Volta ſpinæ* etiam

in hodiernum diem nuncupatur. Fuit autem eo in loco *Spina* quidem civitas, quæ, ut conſtat, non parum temporibus illis floruit: ad quam tunc mercatores, & convenæ pro commutandis, emendiſque mercibus undique confluebant: eum ad locum navibus accumulatiſſime res venales convehebantur. Cujus quidem rei clariſſimus teſtis eſt Strabo Spinam ſic inter ſitum Ravennæ commemorans: *Quo intervallo Butrium Ravennæ caſtellum eſt & Spina; hoc quidem tempore viculus, at quondam græca civitas, & quidem celebris. In Delphis Spinenſium theſaurus commonſtratur, aliaque de ipſis memoria mandata ſunt, apud quos maris erat imperium: eam, ut traditur, unda maris alluerat: nunc locus nonaginta a mari ſtadijs diſtans in mediterranea jacet.* Sed illud eſt mirandum, nulla ipſius urbis fundamenta in loco extare, quæ civitatis illius nobis fidem faciant, quod, niſi teſtis eſſet Strabo, & vetuſtiſſimæ quædam ſcripturæ nobis indicarent, non facile crederemus. Ejus autem Urbis everſionis cauſa penitus ignoratur; quamobrem eam ſilentio præterire non erit indignum. Omiſſis igitur Ravennæ urbis exordijs, quandoquidem aliud nihil certi, niſi quantum ſupra expreſſimus, haberi poteſt, aliquanto altius auguſtam ipſius dignitatem, amplitudinemque recenſere conabor.

Urbs Ravenna, ſicuti vetuſtiſſima quædam litterarum monumenta, & ipſa nempe antiquitatis veſtigia docent, præſtantiſſima quidem, & excellentiſſima fuit, ut ſuo etiam tempore parem non habuiſſe plures affirment. Quod & Strabo plane ſenſiſſe videtur, cum ait: *Intra paludes Urbs maxima Ravenna poſita eſt*. Ante Urbem Romam, uti clare accepimus, condita eſt: & multis olim populis, ac nationibus glorioſiſſime imperitavit. Arma quoque tunc

ferox ille Ravennas populus in hostes, rebellesque civitates capere, ac omnem expeditionem parare, bellaque plurima gerere non dubitavit. Ausus etiam durissima adversus Ticinenses prælia inire: & eos tandem vi, ac ferro in urbem persecutus, æreas Urbis portas auferre. Cujus rei adeo constans fama fuit, ut mea etiam ætate Philippomaria illis tunc imperante, eas portas repetere curarint. Multa insuper mari, terràque eos potuisse, & in hostes expeditam perpetuo tempore classem olim tenuisse novimus. Quibus omnibus populum tunc Ravennatem & viribus, & armis potentem, ac illustrem fuisse constat. Igitur cum potens, & egregia esset Urbs Ravenna, pulcherrimum erit intelligere, quonam pacto cum Romanis se initio habuerit. Nam poterit fortasse quispiam quærere, si tam potens erat, cur in Romanos Ravennatis populi bella, vel expeditiones non leguntur, quod profecto nulla alia de causa factum existimo, nisi quod civitatem ipsam cum Romanis fœderatam fuisse comperio apud Ciceronem in oratione pro Cornelio Balbo: cujus verba subiiciam: *Cn. Pompejus Magni pater, rebus Italico bello maximis gestis, P. Cæsium Civem Romanum, virum bonum, & Q. Junium Ravennatem, fœderato ex populo, civitate donavit*. Ex his certe verbis Q. Junium Ravennatem bello Italico interfuisse, strenueque egisse, & ideo civitate donatum intelligimus. Mos namque tunc Romanis erat, ut, peractis rebus bellicis, pro meritis alios civica, vel vallari, vel murali corona, alios agro, vel civitate donarent. Nam Massinissa Rex fœderatus, qui Romanis auxilio venerat, confecto bello Punico, Numidiæ Regno donatus est: ex quibus postremo verbis, populum Ravennatem cum Romanis, tunc jure fœderis junctum fuisse;

clariſſime conſtat. Sabinos præterea primos cum populo Romano fœderatos extitiſſe tradunt & Livius, & Lucius Florus, & qui de Romana Rep: conſcripſere: quorum Ravennam fuiſſe oppidum ſupra oſtendimus. Quam civitatem C. Cæſaris temporibus non parum etiam floruiſſe Suetonius refert: cujus, ut notior fiat ſententia, verba ſubnectam: *Cum* Cæſar *ex Gallia Tranſalpina in citeriorem tranſiſſet Galliam, Ravennæ ſubſtitit: inde cum tribunos plebis, qui pro eo intercedebant, urbe ceſſiſſe intellexiſſet, præmiſſis clam cohortibus, ne qua in eum ſuſpicio moveretur, ſpectaculo quidem publico per diſſimulationem interfuit, & gladiatorum ludi formam tunc primum conſideravit, frequentique ex conſuetudine ſe convivio dedit: poſt ſolis vero occaſum mulis è proximo piſtrino ad vehiculum vinctis, iter occultiſſimum modico ingreſſus eſt comitatu, luminibuſque extinctis è via decedens, tandem ad lucem duce reperto per anguſtiſſimos tramites pedibus evaſit*. Cæſarem autem fortiſſimum omnium Imperatorum novem habentem legiones, haud fruſtra populum Ravennatem timuiſſe creditur: quoniam ex ea palam diſcedere non eſt auſus: & quandiu apud eam fuit, de invadenda ejus republica conſilium occultavit. Octavianus item Cæſar Ravennam aliquando ex Urbe divertiſſe, apud eundem Suetonium legitur, qui etiam cum ex militaribus copiis legiones, & provinciarum auxilia diſtribueret, Claſſem Miſſeni, & alteram Ravennæ, ad tutelam ſuperi, inferique maris collocavit: ex quibus omnibus ſatis liquido conſtare poteſt, quanta, qualiſque tunc Ravenna fuerit. Plurimique poſtea Imperatores, Reges, ac Duces, regni ſui ſede ibi conſtituta, eam aut inhabitarunt, aut magnis præſidiis tenuerunt (*b*). Nam ex Imperatoribus Ravennæ legimus Juſtinianum aliquibus,

Valentinianum vero posteriorem pluribus : nec non Honorium, & Theodericum Gothorum Regem annis triginta nunquam ex ea discedentem Imperii sui sedem teuuisse ; hinc successorem suum Theodatum, & quotquot ex Regibus Gothorum in Italia regnavere. Cujus rei testis est Paulus Orosius, & quidem locuples, in ejus historia, ubi Imperatorum gesta commemorans, præter Gothornm, Longobardorum, & exterorum regum apud Ravennam res præclare gestas, multa scribit, quæ ipsius Urbis dignitatem non mediocrem insinuant. Ejus igitur aliqua, diversis licet in locis conscripta, recensere constitui, quo majorem legentibus fidem exhibeant. Honorius, tradita Constantio ejus comiti fide integerrimo, Galla Placidia, ejus germana, ex quo Valentinianum genuit, qui postea Reipublicæ imperium gessit, eum tandem cunctis annitentibus apud Ravennam in Regni consortium adscivit : apud quam etiam civitatem idem Honorius sua tricennalia peregisse legitur. Majorianus item, exempto in Italia rebus humanis Avito, apud Ravennam invadit imperium ; quod annis prope quattuor obtinuit. Quo etiam mortuo, Severus apud Ravennam Imperator efficitur, atque Augustus appellatur. Glicerius domesticus a Gundivero patricio totius etiam voluntate exercitus apud Ravennam Imperator efficitur. Magnam insuper idem Orosius fuisse militiam Ravennatem his verbis ostendit. „ Justinianus „ Romanorum Rex Sergium Pontificem, quia in errore „ Synodi, quam Costantinopoli fecerat, favere, & subscribere noluit, misso Zacharia Prothospatario suo, „ jussit Costantinopolim deportari (*c*). Sed militia Ra- „ vennæ, vicinarumque partium jussa principis nefanda „ contemnens eundem Zachariam cum contumeliis ab Ur-

„ be Roma , & iniuriis repulit contra Justinianum : qui „ tandem Imperio expulsus per Leonem Augustum naribus detruncatur . Leo etiam Augustus apud Costantinopolim Sanctorum imagines depositas incendit . Romanoque Pontifici similia facere , si imperialem gratiam „ habere vellet , mandavit . Sed Pontifex hæc facere contempsit . Omnis quoque Ravennæ exercitus , & Venetiarum talibus jussis uno animo restiterunt . Et nisi „ Pontifex prohibuisset , Imperatorem super se constituere aggressi fuissent „ . Hæc , & alia complura de Ravenna refert Orosius , quæ , cum plana sint , ne longior fierem , præterire consilium fuit . Munitissimo insuper murorum ambitu , ædibus , ac superbissimis quidem ædificiis ornavere : quorum pars modica , & fere nulla nunc inspicitur . A Tiberio , & Claudio Germanico mœnibus auctam , a quo & portam illam , cui *Aurea* est nomen , eximio , ac magnificentissimo opere , structam ex marmore pario fuisse novimus . Indicant ad ipsam portam literæ , quas hic inserere non erit iniucundum . *Tib: Claudius . Drusi . F. Cæsar . Aug. Germ. Pont. Max. Trib. Pot. II. Cos. Des. III. Imp. III. P. P. Dedit* . Quem tamen murum Valentinianus posterior Gallæ Placidiæ filius (*d*) , ut auctor est Agnellus Ravennas Pontifex , vel instauravit , vel parte ex aliqua ampliavit , summa adeo cura consummatum , ut fere nullum Italiæ nunc vel novum , vel vetustum habeat illi æquandum : Basilicas vero permultas ac monasteria propriis extruxere impensis ; Quibus tum operum magnificentia , tum ornatu speciosissimo , pares quidem paucissimæ in Italia nunc spectantur . Qualis est in primis Divi Vitalis basilica : quæ & in hunc diem insignis cernitur (*e*) . Eam ab Juliano argentario Justiniani Im-

peratoris juſſu in Sanctæ Sophiæ Coſtantinopolitanæ ædis ſimilitudinem extructam novimus. In cujus teſtudine ſtat in altaris tabula marmoreus lapis adeo perſpicuus, & clarus, ut ſatis licet profundus ſit, ex oppoſito tamen quodcunque objectum clariſſime diſcernatur. Adſunt etiam candidiſſimo in marmore tres infantium imagines, opus, nec immerito, ut fertur, Polycleti, quæ omnes certe alias pulcritudine, arte, & optima membrorum proportione facillime ſuperant. In ejusdem quoque teſtudinis ſummo vertice, quidam *agnus Dei* teſſellato opere cælatus exiſtit: qui tam mira opificis arte formatus eſt, ut quovis ex templi latere eum inſpicias, ipſe te ſemper recta facie ac clunibus retro verſis intueri videatur. Præterea, ne longam templi deſcriptionem proſequamur, tum vario marmorum ornamento, tum opere teſſellato in eo multa ſunt & viſu, & commemoratione digniſſima. Quid ædes Johannis Evangeliſtæ, Gallæ Placidiæ Valentiniani genitricis opus eximium? Quid Sacellum illud ſpecioſum, & tanta artificum cura exædificatum, in ipſius Auguſtæ ſepulcrum: cujus adhuc corpus ſuperbiſſima in ſepultura marmoreo lapide, ibi ſplendidiſſime fabrefacta, reconditum eſſe cernitur? Adde Crucis, Zachariæ (*f*), & Michaelis templa: quæ eadem Auguſta ſumma quadam diligentia conſtruxit: *Mariæ* quoque *in rotundo*, ut appellant, quod unico, eoque ipſo vaſtiſſimo tegitur lapide; id namque in Theoderici Gothorum regis ſepulcrum exædificatum reperimus (*g*). Templum item *Martini in cœlo aureo*: quod nominis mutatione *Apollinaris* in novo dicitur, & *Salvatoris*: ſuper cujus pinnaculo, idem Gothorum Rex æream ſtatuam auro puriſſimo deauratam, variiſque ornatibus redimitam, ut glorioſum oſtentaret opus, erexit:

quam & Carolus Francorum Rex, quum totam fere subiugasset Italiam, in Galliamque rediret, & per Ravennam iter faceret, subtraxit, & in Galliam detulit; palam testatus similem se nunquam vidisse, nec artificio, nec ornatu celsiorem. Adest & Gothicum templum, quod Gothi gens licet Arianæ hæresis labe infecta, sub sancti Andreæ nomine summopere comptum, & suis tunc ædificiis admirabile construxere. Sed id nuper solo, æquatum, & funditus deletum vidimus: præclarum autem opus, & multorum annorum labore, arx munitissima, quæ modo tanta Venetorum impensa erigitur, paucis nuper diebus absumpsit. Subinde *Apollinaris in classe* templum quidem splendidissimum Narsetis Justiniani ducis opera exædificatum. Porro *Laurentii in Cæsarea* ædes, quam Lauricium Imperatoris Honorii cubicularium, in hunc modum fundasse legimus. Honorius Cæsar Lauricio jussit, ut in Cæsareo oppido apud Ravennam regale, & speciosum sibi atrium ædificaret. Is, assumpta pecunia, ad locum confestim accessit, ibique basilicam Laurentio, martyri dicatam, ædificiis, ac magnitudine præclaram construxit: &, cum omnia consumasset, ad Imperatorem rediens, ut expletum sibi opus enunciaret, Cæsarem mox turbatum invenit. Jamque invidia malevolorum fraus Imperatoris aures tentaverat. Interrogatus demum Lauricius, si commissum sibi opus explevisset, & imperialem aulam extruxisset, omnia se fide confecisse respondit (*b*). Quo audito Cæsar tacitus quievit. Cum autem ad ea loca profectus fuisset Honorius, sublimia conspicatus ædificia Lauricii opus præter multorum expectationem summè laudavit. Non mediocris utique honos Ravennæ fuit, ipsum Cæsarem Honorium, alios item quosdam Cæsares, ex

Urbe Ravennam aliquando divertisse. Extat & ædes *Joannis Baptistæ* (*i*), cujus Baduarius quidam fundator extitit. At quoniam natio, & stirps ejus scriptis minime mandatæ sunt, nos illam ignorare non est mirum. Quid templum *Mariæ in portu* (*l*), quam Petrus quidam *peccator* Romanæ Ecclesiæ Cardinalis erexit, ædificiis ac ornatu sublimem; & alia insuper insignia monasteria, ac basilicas magnificentissime constructas temporibus illis fuisse comperimus, quæ hic nominatim describere longum esset. Ea vero amplissimis condonarunt patrimoniis. Hinc habent Cathedralis hujus Urbis Ecclesia, & septem alia monasteria possessionum jus amplissimarum in Exarchatu Ravennæ, & in omni agro, qui tunc ad Ravennatem spectabat, jurisdictionem. Qui quidem ager, & Exarchatus, ab Apennino monte Picenum inter, & Padum Placentiam usque, & ultra Padum ad Mincii amnis fluenta, in paludes, & mare Adriaticum protendebatur. Nam quicquid a Placentinis, & agri Papiensis finibus Padum inter, & Apenninum, ac paludes, stagnaque Venetorum, & Adriaticum pelagus pertinet ad Ariminum. Quam quidem civitatem, & quicquid intra Isaurum, cui fluvio nunc *Folia* est nomen, Apenninumque, & Adriaticum mare continetur, Ravennati juri, & Exarchatui subditum fuisse ostendit consuetudo juris *ab exarcho* dicendi usque ad hæc tempora observata. Exarchatus autem principatum significat: nam Archos Græce Latinis *Princeps*. Extat præterea donationis factæ ab Imperatore Justiniano Ecclesiæ Ravennati pars formulæ, in hæc verba: *Sancta mater Ravennas Ecclesia, vere mater, vere orthodoxa: cum ceteræ multæ Ecclesiæ falsam propter metum, & Principum terrores superinduxerint doctrinam, hæc vero Catholicam tenuit fidem:*

nunquam mutavit, fluctuationem sustinuit, sed a tempestate quassata, immobilis permansit.

Habuit præterea Urbs ipsa portum olim insignem ad *Classense* castellum civitati satis propinquum, qui adeo patens, & navigiis tutus fuit, ut illum Imperatores, ac Reges permulti elegerint, ubi suam classem perpetuo tempore expeditam conservarent, quæ aut subitis in tumultibus, aut destinatis in bellorum apparatibus Illyrium, Epirum, Macedoniam, Achajam, Propontidem, Pontum, Cretam, & Cyprum directa navigatione celerius petere possent, quam si ex urbe Roma, aut aliis Italiæ littoribus solvissent. Nuper vero portus ipse pene clausus est; ut nedum triremes, aut dromones, sed nec scapham piscatoriam, lembumve perferat: Cuius quidem rei caussam fuisse non dubitamus *Sapis* fluvii, & aliorum fluminum, qui portum illum facere consueverunt, aversionem. Nam aliud in mare ostium, quod *Gervasium* dicitur multis ante sæculis sibi *Sapis* fluvius effecit: Alii vero ad Urbem declinantes, Adriaticum mare aliud per ostium influunt. Est quidem ignorantibus, & si a majoribus scripta sunt, incredibile dictu vel portum ejus magnitudinis, vel oppidum in Classensi loco fuisse: eum tamen, quem diximus portum, moles quædam miræ magnitudinis, ac structuræ, tunc, ut apparet, aquarum fluctibus obiecta, nec non turris illius, quam ad portum illum fuisse legimus, de qua lucernæ noctu portum navigantibus indicarent, fundamenta nuper reperta nobis evidentissime ostendunt: quam quidem turrim asserit Plinius, omnium maximam fuisse, quas Romanorum Imperii portus alicubi habuerunt.

Urbem Ravennam adeo nobilem, & præclaram fuisse

reperimus, ut illam ab initio non nisi viri nobiles, & generosi, & qui aliquo eximiæ virtutis splendore essent insigniti, uti fama est, eaque haud tenuis, tantummodo inhabitarent: plebeis vero, & ceteris omnibus habitanda loca extra Urbem designarunt. Hinc Cæsareum castellum, parum ab Urbe distans, condidere: quod postea etiam muris cinxerunt, quorum adhuc fundamenta visuntur; ut in eo artifices perpetuam traherent habitationem. Ex quo quidem oppido *Priscianum Vinctorem* in arte Grammatica eminentissimum oriundum non desunt, qui constanter audeant affirmare. Aliud quoque oppidum ad Classicanum portum, quod Classense appellabatur, ut ibi mercatores convenæ, & ceteri omnes, qui pro commutandis, emendisque invicem rebus assidue confluebant, commorarentur, propensius ædificarunt: quod ab Luitprando Longobardorum rege postea deletum fuisse legimus. Ex quibus, & si non alia adessent indicia, liquido perspici potest, quæ, & quanta Ravennæ Urbis nobilitas, potentia, dignitas, & opulentia fuerit. Pictura item quædam tessellato opere facta, quæ speciosa, & elegans in Beati *Martini in cœlo aureo* æde, alias, ut diximus, ab Theoderico constructa cernitur, tum Urbis Ravennæ, tum Classensis oppidi antiquam præstantiam indicat. Id opus Theodati regis, qui tunc occidentale obtinebat Imperium, fuisse coniicimus. Quo in loco multa vidimus, quæ & scripta credere difficile nobis erat. In pariete enim, qui ad dexteram est, Ravenna qualis tunc erat in hunc modum depicta est porta aurea Claudii Tiberii opus qualis nunc extat, propinquam habet insignem Beati Vitalis ædem: magna ex parte nunc integram Palatii item illius excelsi, quod tanta cura, impensaque Theodericum ædi-

ficasse, Cassiodorus sæpe commemorat, & aliarum ædium, ut in pictura apparet, superbissimarum nullæ iam diu vel minimæ cernuntur reliquiæ. Sed illud in omnibus cernere est admirandum, quod ad omnes aditus, qui portæ aureæ, & ædi Sancti Vitalis bini, palatio autem quaterni erant, nec ligneæ, nec æreæ, nec ferreæ erant valvæ. Sed in ea, quam Ducum, Regum, ac Imperatorum justitia, & potentatus præstabant securitate cortinula ut apparet aurea, quam Velum appellare consueverunt, pro valvis & foribus utebantur. Indicant præter picturam arpagiunculi ex ære, qui in summam ostiorum quæ Vitalis bina sancti ædem habere diximus, adeo tenues sunt, ut constet eos nihil præter cortinulam sustentasse. In pariete autem sinistro ejusdem Beati Martini ædis Classense oppidum tantis ædificiis ornatum fuisse apparet, ut stupendum sit nulla ipsius fundamenta, nullam partem, præter ædem Sancti Apollinaris, quæ adhuc extat insignis, ac Sancti Severi magna nunc ex parte collapsam, & pene deletam, nec non ejus olim portus molem, de qua supra diximus, alicubi vel in silva, vel in vepribus inveniri. Portum etiam illum, quem adeo patentem, & navigiis tutum ostendimus, ac turrim illam maximam pictura ipsa evidentissime nobis ostendit.

Sed quales olim Ravenna Urbs viros, ac cives habuerit, in præsentiarum licet ostendere. Veteres nostri, & natu majores, aditus, portas, & propugnacula quædam, ex ipsis denominata, summa cura in murorum Urbis ambitu construxere, vel, ut aliqui tradunt, ædes ibi proprias habuere. Cujus rei aliquæ, quæ nunc extant, portæ, & propugnacula fidem faciunt. *Andrianam* portam, ut ab aliquibus exordium capiamus, ab Andriana egregia

quondam familia nomen traxiſſe non dubitamus. *Anaſtaſiam* vero portam (*m*) ab Anaſtaſio quodam de *Honeſtis*, ſtirpe vetuſtiſſima: quæ, ſicut accepimus, nobiliſſima quidem, & generoſa olim fuit, e qua clariſſimi olim viri, & omni laude, atque gloria digni prodiere, inter quos fuit beatus *Romualdus Camaldulenſis* eremi ordinis erector. *Gazum* quoque, ubi olim aditus quidam fuit, & nunc propugnaculum: a nobili, & quæ adhuc in Corneliensi Urbe præclara viget, Comitum de Gazo familia. Aliud vero propugnaculum, quod *Polenteſia* dicitur a clariſſima ac potenti quondam familia Polenteſia, e qua preſtantiſſimi, & generoſi ejus Urbis cives fuere, a quibus Caſtellum Polentæ conditum fuiſſe credimus: *Puſterula* turris quædam a *Puſterula* domo, quæ dudum nobilis, & clara fuit, ſibi id nomen vendicavit. *Alidoſia* turris, quæ in hodiernum tempus Almerici Lidoxii dicitur, ſive ab Alidoſiis, quæ olim nobilis, & potens habita eſt familia; nam Foro Cornelii ætate noſtra, multiſque oppidis imperavit: ſive, ut quidam perhibent, quod verius eſſe credo, ab Almerico quodam ex generoſa, & illuſtri dudum Cuniensi familia progenito. Ex hac enim Urbe eam familiam genus ſuum duxiſſe comperimus: hinc nomen ſibi turris aucupata eſt. At ubi in cives ejus Urbis egregios, viroſque præſtantes incidimus, non omittendas eſſe decrevi præclaras duas olim familias, quæ non modo eam civitatem, ſed univerſam fere Flaminiam, illuſtrare ac decorare potuiſſent. Et in primis generoſa *Traverſariorum* domus, quæ genere, opulentia, ac dignitate præſtans fuit: & *Polenteſia* gens haud inferior *Traverſariæ* habita: ex ea nanque fuere, qui Urbem noſtram, Ariminum, & oppida permulta aliquando ditione tenuerint: Comites

item *Malvicini* : e quibus fuere in re quidem militari viri perilluſtres , qui Bagnacaballo & oppidis etiam quibusdam olim prædominati ſunt : Ex hac enim Urbe , & ipſi ortum habuere . Alios complures generoſos , & preſtantiſſimos cives , ac honeſtiſſimas quidem familias adducere poſſem , quæ & nobis ejus Urbis claritatem maximam oſtenderent . Sed eas ob claritatem ſuam publice cognitam miſſas facere conſilium fuit . At quando jacta , ni fallor , ſunt fundamenta , quæ generoſam Urbis vetuſtatem , amplitudinemque nobis ſatis probabiliter inſinuant ; Nunc locus iſte depoſcere videtur , ut ex multis pauca de ſanctitate , ac dignitate Præſulum ejus Urbis , & geſtis quibusdam dicere velimus , e quibus Urbis ſplendorem , præſtantiamque oſtendi poſſe non dubitamus .

De Dignitate Præſulum Ravennæ , & eorum ſanctitate .

Eccleſiam Ravennatem floruiſſe olim , & mira quadam , ac incredibili ſanctitate præſtitiſſe omnes affirmant , ita ut æqualem fere ſuo tempore poſt primas ſedes non habuiſſe dicere auſim . Nam martyres , & confeſſores plurimi Eccleſiæ , ut legimus , Ravennati præſiderunt . Quoſdam autem eorum a Spiritu quidem Paraclito in columbæ ſpecie dignatione mirabili delectos fuiſſe nemo dubitat : quorum aliqui , licet rudes eſſent , & litterarum penitus ignari , eam tamen poſt electionem in viros repente eruditiſſimos , & ſapientiſſimos , ac ſi litteris , & ſapientiæ ætate omni eos vacaſſe contigiſſet , evaſere . Et ſi eorum vitæ ſanctimoniam , ſi morum gravitatem , ſi denique geſta percurrere tantummodo velim , in immenſum quidem

volumen excresceret. Itaque eorum dignitatem quam breviſſime perſtringere curabo. Præſul igitur Ravennas metropolitanam quidem poteſtatem, ac jurisdictionem ſuper Episcopos ſexdecim conſuevit habere, quorum hic nomina haud alienum erit interſerere (*n*). Ariminenſem ſcilicet, Cæſenatem, Cervienſem, Foripompilienſem, Saxenatem, Livienſem, Faventinum, Cornelienſem, Britinorienſem, Bononienſem, Mutinenſem, Regienſem, Parmenſem, Placentinum, Ferrarienſem, Adrienſem, & Comaclenſem. Quos omnes intra Ravennæ Exarchatum conſtitutos eſſe videmus. Ipſum inſuper Ravennæ Præſulem ab Valentiniano Imperatore ornatum fuiſſe conſtat pallio ex candida lana confecto, quo ſolus tunc Imperator uteretur: quod quidem ſuperbiæ incentivum fuiſſe coniicimus, ut Præſul Ravennas cum Romano Pontifice de principatu contenderet: nam multas inter ſe, ut legimus, contentiones habuere ita, ut Ravennas Eccleſia tandem a Pontificis Romani ditione ſubtracta prorſus videretur. Sed poſtea Agathonis Romani Pontificis temporibus Eccleſia ipſa Ravennas Romanæ, a qua, ut proxime diximus, jam pridem deſciverat, eſt ſubjecta. Theodorus præerat tunc Ravennati Eccleſiæ Archiepiſcopus, quo etiam tempore alter Theodorus Calliopa *Exarchus* Italiæ erat. Clerum Ravennatem tunc magnum is Archiepiſcopus, præter quorundam ex prædeceſſoribus morem, ſevera diſtrictione in bonis moribus continebat, unde maximas in illum inimicitias exercebat. Fame autem plane inchoata multis, ac fere omnibus opitulabatur Archiepiſcopus. Sed major fuit quorundam importunitas, quam ut illorum ingluviem, luxuriamque potuerit explere: hinc detractiones primum, & ſuſurrationes auditæ ſunt avari-

tiam Archiepiſcopi, tenacitatemque damnantium. Fame poſtea invaleſcente, ab occulta mordacitate multi proruperunt in apertam Archiepiſcopi vituperationem: eos tamen, ut potuit, largitione Pontifex conatus eſt demulcere. Dies advenit ſacratiſſima Natalis Chriſti, convenitque ex more ad ortum Solis Ravennæ populus in Apollinaris æde: quæ in Claſſenſi loco etiam ſpecioſiſſima viſitur, expectabaturque Archiepiſcopus, qui Miſſarum ſolemnia celebraret: ſed omnis clerus, ſeceſſione facta, illum in Archiepiſcopio deſtituerat. Cum vero Sol jam in meridiem aſcendiſſet, Exarchi opera reductus ad Archiepiſcopum clerus, illum ad martyris Eccleſiam deduxit. Qua ſtomachatus indignitate Archiepiſcopus, ad Agathonem Romanum Pontificem ſe contulit, & Ravennatem Eccleſiam Romanæ ſubdidit, ut non ultra Romano par foret Ravennas Præſul, quod multi antea dicere præſumpſerant: ſed Ravennas Pontifex, aut qui a clero, & populo Ravennati deligeretur, Romam pro confirmatione cogeretur accedere. Cæterum hæc omittamus: nam quædam alia recenſenda locus iſte depoſcit, ut ſcilicet quam brevius poſſim ſcribere incipiam, per quos fides Catholica Ravennatibus tradita, & primitus inſinuata fuerit; & quædam demum Præſulum geſta, quo noſtrum proſequamur inſtitutum. Apollinaris ſiquidem primus fuit, qui fidem Chriſti Ravennæ diſſeminavit, natione, ut hiſtoriæ ferunt, Antiochenus, græcis vero, & latinis litteris apprime eruditus. Hic poſtquam ab Apoſtolorum principe ordinatus eſt Pontifex, Ravennam nobiliſſimam Italiæ tunc civitatem, & multarum metropolim urbium miſſus eſt: Ubi Chriſti fidem diu prædicans, multos ad catholicæ fidei agnitionem perduxit: per quem & dominus ſigna, & pro-

digia multa ostendere dignatus est: cæcos scilicet videre, claudos ambulare, leprosos mundari, ægros omni ab infirmitate convalescere, mortuos denique ab inferis resurgere faciens. Tandem multos post labores sanctam Ravennæ Ecclesiam, & ipsam quoque Urbem suo quidem martyrio consecravit. Quam & ejusdem viri meritis præcipuis præ ceteris omnibus Ecclesiis adeo clemens ipse, & vere pius dominus Christus insignivit, ut postquam præsul ipse sanctissimus corona martyrii laureatus migravit ad sidera duodeni instar Apostolorum per multa quidem annorum curricula duodecim sibi successores ordinaret, non humana electos industria, sed superna potius accitos clementia: nam super eorum capita, demissa cœlitus columba, delectos esse legimus. *Aderitum* scilicet virum sanctissimum, *Eleucadium* philosophum græcis, latinisque litteris eruditissimum, *Marcianum*, *Calocerum*, *Proculum*, *Probum*, *Datum*, *Liberium*, *Agapitum*, *Marcellinum*, & *Severum*, qui ultimus fuit præsulum, in quorum electione Spiritus Sanctus divina quadam providentia descenderet. Multa vero ejus leguntur prodigia, quorum aliqua hic pro nostra in hunc divum pietate percurrere, non erit insuave. Quodam die dum Sacra Missarum solemnia vir sanctissimus celebraret, Lectorque sive, ut appellant, Subdiaconus, Epistolam astanti populo de more solito recitaret, pulpitumque ascendisset, beatissimus vir in extasi repente factus est. Ministri vero existimantes, quod a somno fuisset oppressus, ejus latera, ut excitarent contingunt. Ille tandem, ut a gravi somno se erigens, quid mihi molesti estis? inquit, licet enim præsens hic vobis viderer, alibi tamen me nuper fuisse velim vos non ignorare. At illi, ubi fuisset sciscitantes; ait: In Muti-

nensi nuper templo aderam, ubi fratris mei Episcopi Geminiani ipsius templi Antistitis omnipotenti Deo animam commendavi, ibique commoratus donec in sepulcro corpus conderetur. Cives autem, ut fidem eorum caperent, ad Urbem Mutinensem nuntios mittunt; qui cum ad locum profecti fuissent, de die, ac hora, qua beatus Geminianus ex vita migrasset ad dominum, diligentissime ab civibus sciscitantur. At illi, nonne Pontifex vester Severus ejus animam commendavit: & donec sepulcro corpus traditum est, hic moram traxit: & deinde a nostris repente oculis evanuit? His auditis mox nuncii redeuntes Ravennatibus hæc omnia renunciavere *(o)*. Aliud quoque memoratu dignum is divinus vir operatus est. Tantæ quidem sanctitatis fuit, ut ipse etiam obitus sui diem proximum viderit. Nam, celebratis ex more divinis mysteriis, sacrum Domini corpus, & sanguinem cum sumpsisset, stola indutus pontificali, convocato ad se clero, ac universo populo de fidei integritate, unanimitate, atque fraterna dilectione prolixius sermonem habuit: quo finito, ad sepulcrum, ubi uxor, & filia prædefunctæ jacebant, accedens vivus ingreditur; &, quoniam nimis angustum erat sepulcrum sui, & prædefunctorum minime capax, præmortuis jam uxori, & filiæ, ut sui sepeliendi locum sibi concederent, mandat: ad cujus vocem uxoris, & filiæ ossa quælibet, hæc quidem dextrorsum, illa vero lævorsum se contrahunt, & capacem inter se medium locum sanctissimo viro tribuunt. Ubi denique humilis pretiosam Deo animam reddidit. Sed video me longius, quam propositum erat, evagari. Permultos alios insuper sanctissimos Præsules eidem majori Ravennatum tunc præfuisse legimus. Quorum aliqui ob eorum vitæ

ſanctitatem non omittendi ſunt : *Liberium* primo , poſt Apollinarem XIII. *Probum* , *Florentium* , alterum item *Liberium* , *Urſum* , a quo templum majus , & in hodiernum Urſianum denominatum erectum eſt , columnis marmoreis , ſpecioſiſſimiſque lapidibus , ac variis ornamentis , & figuris teſſellatis exornata . Præſul enim ipſe plebem Dei tunc diverſa per loca vagantem , in ovile unum colligere ſummopere ſtuduit . A quibusdam poſtea aliis Pontificibus id multipliciter , varieque decoratum fuiſſe comperimus : nam altare illud , ac teſtudinem argenteam , ſplendidiſſime , & mira quadam artificum induſtria exornatam extruxere : ut par illi nullam Italia minime habeat . Omitto pretioſa vaſa , & alia quædam ornamenta , quæ plurima eam Baſilicam novimus habere . Omitto beatorum corpora , compluresque reliquias eadem in Eccleſia reconditas , quæ omnia & ſplendorem ipſius maximum , & amplitudinem oſtendunt . Poſt *Urſum* vero *Petrum* (*p*) , Petriani templi fundatorem , cui nullum certe tunc templum ædificiis , ac ornatu ſimile fuiſſe credimus : in quo & tercenta altaria fuiſſe leguntur , pretioſis lapidibus , variis item figuris mirum in modum ornatum , auro item & argento , ſacriſque vaſculis valde refertum fuiſſe ſcribitur . Quo in templo pictura quædam imaginis Salvatoris erat adeo ſpecioſiſſima , & Dei filio , dum in carne eſſet , ſimilis , ut ſimiliorem aſpicere poſſet nemo . De qua hæc ipſa legiſſe memini . Quidam in eremo pater dominum toto cordis affectu ſæpiſſime oravit , ſuæ incarnationis formam ut ſibi dignaretur oſtendere . Per multum itaque tempus in ea oratione perſeverans , divino tandem nutu oranti illi vir candidis indutus veſtimentis , & angelico habitu nocte quadam aſtitit ; dicens : Ecce exau-

dita eſt oratio tua. Surge, vade in civitatem, quæ *Claſſis* dicitur, & ibi templum Petrianum quære: quod cum ingreſſus fueris ſupra ejus templi fores ſuſpice; nam, uti optas, qualis in carne fui, me pictum in pariete cernes. Qua viſione non parum lætatus ipſe pater eremum linquens iter aggreditur, & ad eam properat civitatem, tendens quo neſciebat. Duo ſtatim ei tunc leones comites fiunt. Longa tandem poſt itinera urbem applicuit. Cum autem templum una cum leonibus ingreſſus fuiſſet, eam imaginem diutiſſime ſummo ſtudio quæritavit: quam cum tandem inveniſſet, pronus in terram cadens aſpexit inquiens: Gratias ago tibi, Deus meus, qui non ſpernis in te confidentes, nec mortem deſideras peccatorum, ſed invocantibus te exorabilem præbes. Ecce non ſecundum mea merita, ſed tua pro immenſa caritate, deſiderium ſervuli tui dignatus es implere. Jam ſatiatus ſum theſauro cœleſti, divitiiſque locupletatus. Suſcipe ergo animam meam, Deus, & illam in cœleſtem aulam ducere digneris, ut ad cœnam invitatus agni merear tuum ingredi regnum, & ad tuam ſedere menſam. Quibus dictis inter rugientes ibi leones ſpiritum Deo reddidit. At leones humum mox ceperunt pedibus ſcalpere, quaſi cuperent divini viri corpus ſepelire: Pius interea populus accurrit, & foſſoria manu tenens, nimio cum timore, ac veneratione lambentibus ejus viri membra leonibus, & lacrimas, ut potuerunt, quaſi fundentibus, corpus ipſum exanime diligentiſſime tumulavit. Tunc vero leones unus ad caput, alter ad pedes rugitu magno perſtrepentes, atque eorum colla divini corporis tumulo ſubmittere cupientes, ambo ibi tandem interiere: quos & juxta beati Viri tumulum ſepelire populus ipſe curavit. Sed longe nimis

ſpatiatus ſum dum Petrianæ ædis dignitatem oſtendere cupio (*q*) . Huic vero Neon ſucceſſit templi *Petri majoris* auctor , quæ miris ædificiis , ac ornatibus adhuc in Urbe cernitur . *Superantius* item fuit , cuius tempore Eccleſia Sanctæ Agnetis erecta eſt . *Joannes* inſuper vir ſanctiſſimus , qui & Angelum vidit , cujus tempore Athila Hunnorum Rex , cui flagellum Dei cognomen fuit , Italiam atroci , & ſæviſſimo cum exercitu ingreſſus eſt : qui cum Italiæ fines pene vaſtaſſet , civitates , & caſtella permulta ſubvertiſſet , & populorum corpora mucronibus jugulaſſet , ad oram Ravennatem tandem properanter animum convertit , ut & illam rapinis , incendiis , ac ferro devaſtaret . Præparato igitur exercitu , iter ingreditur , & ad eam feſtinat urbem . At ſanctiſſimus præſul Joannes magnis præveniens fletibus, lamentationibuſque ſe ſe orationi dedit , mortem ſupplex a Deo petens priuſquam a perfido , & ſæviſſimo hoſte Urbem ſuam opprimi , ac exſcindi videret . Itaque vir ſanctus nocte tota pervigil , ſuis pro civibus ad dominum preces effundere non deſinit : fixis in terra genibus , expanſiſque ad cœlum manibus dicens : Domine Deus , cujus opera inearrabilia ſunt , exaudi ſervum tuum humilem , & peccatorem : ſuſcipe piiſſime Pater orationem meam : & quas pro civibus meis fundo, lacrimæ ad te perveniant . Poſtquam vero orationem conſumavit , lacrmarum rore aſperſus de loco ſurrexit . Poſtridie vero in diluculo , vir beatiſſimus quaſi Miſſarum ſolemnia celebraturus , ſtola indutus pontificali , cum ſacerdotibus , & univerſi cleri pompa publicorum de more votorum , ad Regem Athilam , qui in agro jam Ravennati caſtrametatus erat , iter accelerat . Rex igitur ubi virum ſanctum ad ſe properantem , & ſuis cum ſacerdo-

tibus, & clericis psallentem vidisset, tanta divina fuit providentia, ut Regis non solum ferocitas deposita sit, sed pro sanctissimo viro adversus alium quemque jam ipse dimicare paratus esset; & quos ante proditurus venerat, nunc defensurus omnino videretur. Ait: Unde viri isti candidissimi psallentes veniunt, aut quid sibi volunt? Nunquam profecto hujuscemodi viros mihi videre contigit, qui nive ipsa candidiores, ac ceteris forma præstantiores existant. Et, qui inter eos medius est, Angelus mihi certe videtur. Cui adstantes responderunt. Rex invictissime: Vir iste, quem inter candidatos medium cernis, ad te supplex, & plorans veniam, & misericordiam petiturus accedit. Utque tantæ Urbi florentissimæ parcas, & illæsam serves, benignitatem atque clementiam tuam implorat, rogatque: Nec enim ignorat plurimum virtutis, ac fortitudinis animi tibi insitum, plurimumque roboris, & ferocitatis militibus tuis ingenitum esse; Unde tuo isto ingenti, & validissimo exercitu unumquodque oppidum, vel munitissimum expugnare facile possis. Proinde vir iste sanctus pro filiis suis animam effundere malle decrevit, quam perpeti eos rapi, belluarumque more trucidari. Rex autem cum intellexisset eum velle pro filiis suis obire, interrogavit, quonam modo vir unus tot filios ex se gignere potuisset. Illi vero non ex conceptu carnis, aut sanguine, sed spiritu sibi adoptatos filios esse responderunt: eorum enim curam gerit, salutem custodit, & pro eis oppetere non formidat. Audiens itaque Rex verba hujuscemodi, vehementi admiratione tenebatur, & præ stupore in verba prorumpere non poterat. At paulo post ad sanctissimum Joannem conversus ait: Ecce tibi omnia pro votis concedo: unum tamen est,

quod abs te volo: Cives enim tui, ut conjectura assequi possum, multum ingenio, & astutia valent: nolo me fraude aliqua deceptum prædicare queant: Quod mihi, exercituique meo non parvæ ignominiæ foret. Sanctitas enim tua adeo cor meum placavit, demulsitque, quod precibus tuis refragari minime possum. Pergito igitur, celeriterque curato, ut confracta muri parte, portisque in terram stratis, mihi, & exercitui liber Urbis pateat ingressus. Per mediam enim urbem transire decernimus, nulli quidem nocere volentes, nec ullas molientes insidias; Hoc ideo constituimus, ne quis dicat, Ravennam demoliri, aut subjugare non potuit, sed ibi cum exercitu suo contritus est, aut terga dedit, & in fugam versus est. Itaque Rex fidem sanctissimo viro adhibens, Ravennæ fines omnino egredi pollicitus est. Mox igitur beatissimus Præsul ad Urbem rediens summa cum celeritate de cardinibus portas excuti jussit murumque confringi, atque aditum Regi patefieri. Sic postera in luce adventante, Ravennam Rex ipse ingreditur cum omni exercitu, stratas humi portas equorum pedibus calcans, cui vectes cum clavibus in subditæ civitatis indicium oblatæ sunt. Cives vero magno perculsi timore, Regem formidantes, gementesque lacrimis, & suspiriis cœlestem invocabant dominum: Rex itaque procedens civitatem absque civium læsione egreditur, cunctis passim civibus immensas Deo gratias agentibus. Ceterum ne nimis nostra protrahatur oratio, hæc in præsentiarum de sancto viro dicta sufficiant (*r*): Successit inde *Petrus* Ravennas, vir sanctissimus, & litteris eruditissimus, qui plures sermones, ac homelias edidit. *Aurelianus*, item *Ecclesius*, is qui templum Mariæ Majoris ædificavit. Post hos *Ursicinus*, atque *Victor*, qui

altare argenteum in majori templo, ac testudinem illam ex argento purissimo tam splendidissimam erexit. *Maximianus* quoque Vir miræ sanctitatis, qui templi Beati Andreæ fundator extitit, in quo corpus ejus reconditum esse conspicitur. Idem etiam Mariæ templum in civitate Polensi; & multa alia templa summa religione construxit; qui quidem licet alienigena esset (*s*), quod nunquam antea contigerat, tamen Ravennatem adeptus est Pontificatum, & in hunc, ut legimus, modum. Nam, cum in templo Polensi diaconus esset, die quodam in horto, ut semina jaceret, terram fodiebat. Forte autem terram sublevans, quodam vas fodiendo reperit, quod cum aperuisset, & aureis nummis refertum vidisset, consilio statim excogitato, eo quod res diu latere non poterat, bovem occidit, evacuatumque ejus ventrem, & subtulares quales ex hircorum pellibus fieri potuerunt, aureis illis repleri numismatibus summopere curavit. Reliquam vero thesauri partem Constantinopolim profectus, ad Justinianum tunc Imperatorem detulit. Quam Augustus cum accepisset, post gratiarum actiones, an eo plus ibidem fuisset diligenter exquisivit. At ille nihil amplius nisi quantum ipse in ventrem unum, & par sotularium exposuisset: Putavitque Cæsar, quod de victu corporis, & pedum calceamentis diceret. Interea contigit, ut Victor Ecclesiæ Ravennatis Archiepiscopus e vita discederet; Civesque Ravennæ ad Imperatorem (*t*), ut pallium postularent, pro electo jam Præsule oratores mitterent. Imperator autem, cui animo insidebat, velle beato Maximiano, pro ea quam in se fide demonstrarat, parem referre gratiam, Legatis præcepit, ut paucos dies expectarent. Moxque Maximianum virum sanctissimum a Vigilio Pontifice,

qui tunc in Civitate Patrarum apud Achajam residebat, Archiepiscopum templi Ravennatis creari, consecrarique studuit. Quibus peractis, dato ipsi pallio, Ravennam misit. Quo cum adventasset, Ravennatibus eum suscipere nolentibus, apud Basilicam beati Eusebii, extra civitatem aliquandiu moratus est. Tandem vero, reconciliatis sacerdotum, ac civium animis, maxima cum jubilatione susceptus est. His etiam annumerandus est *Agnellus* (*u*), qui, ut coniicio, Agathæ templum exædificavit: in quo & postea sepulturæ mandatus est. *Petrus* item Senior, a quo & Sancti Severi templum in Classensi olim oppido ædificiis sublimibus constructum est. Præter hos fuit quoque *Gratiosus*, vir sanctus, multa laude dignissimus Præsul; qui plura de Ravennatibus civibus, civitateque ipsa prophetico afflatus spiritu longe ante prædixit. Multos porro alios præsules Ravennas habuit templum sapientia, moribus, & sanctimonia insignes, quos hic nominatim referre longum esset; atque id libelli modum excederet. His igitur contenti erimus, si prius tamen duo nostrorum temporum miracula magna quidem, ac stupenda conscripsero, quæ & ceterorum nobis fidem præstabunt, & Ravennatem Urbem plane ostendent, magis sanguine martyrum & præsulum sanctitate, quam armis semper munitam extitisse. Fuere temporibus Galeotti Malatestæ Arimino dominantis, qui ad eum profecti dicerent, Urbem Ravennam civibus fere omnibus, & tyranno Guidone Polentesio ob pestilentiam in agro commorantibus, faciliter ab ipso capi posse. Quod cum audisset, & ab exploratoribus ita esse intellexisset, haud factu difficile existimans, etiam si vi, atque armis id agendum esset, ad hoc conficiendum militum quammaximas potest copias parat; Rustica-

norum etiam multitudine non parva ex agris collecta; die constituto, magno itinere, Ravennam petere contendit. O res admiranda, & omnibus sæculis inaudita! Cum jam Ravennæ noctu appropinquaret, murosque conspiceret, nonnulli jam admotis scalis eos conscendissent, tantam pro mœnibus armorum, atque hominum copiam videre visus est, ut non vacuam civitatem, sed, ut ita dixerim, Xerxis exercitum intus esse existimaret: inter quos facibus accensis, & ferro accinctos, videre visus est beatos Martyres ac Ravennæ patronos *Ursicinum*, & *Vitalem*. Quibus admodum perterritus exclamavit. Plane ego deceptus sum, atque in hostium manus me proditum esse conspicio. Nec parvi sane faciendum sibi videbatur, si Ariminum incolumis redire potuisset. Itaque attonitus e vestigio celeriori gradu, quam Ravennam venerat, Ariminum confugit, inque fuga luminibus captus est, nec multo post obiit. Tres præterea ex his, qui mœnia conscenderant, a Guidone tumultu exaudito capti laqueo suspensi sunt. Atque eo modo civitas ab imminenti periculo, optimi Dei auxilio, & sanctorum præsulum precibus liberata est. Aliud præterea facinus referam magnum, & admirabile, & supra hominum fidem. Paulo post ubi Ravenna sub æquissimum Venetorum Imperium devenerat, Guido Antonius Manfredus Faventiæ tyrannus cum agresti homine & quibusdam militibus, qui a Venetis in præsidium missi Ravennæ habitabant, de prodenda sibi ea eivitate conspiraverat. Cujus facinoris perficiendi modus haud inepte inter eos talis excogitatus est. Mitterentur siquidem primum cum rustico homine ad viginti pedites, qui curru frumenti manipulis onerato abditi in Urbem veherentur, atque ipse Rusticus pontem cum jam

plane dimensus esset, primus occuparet, & in eo, simulata currus, vel jugi fractione, subsisteret, donec hi milites, qui inter manipulos latitabant, ad portam Urbis Adrianam, pontemque occupandum desiliissent. Subinde milites conjurati Ravennæ habitantes summo mane intro per vicos eidem portæ propinquos passim vagarentur, mox ad omnem tumultum ad portam ipsam ex altera parte occupandam occursuri. Ceterum quadringenti equites, & totidem delecti pedites, Guidone Benzono duce, cum jam oriri dies videretur, Ravennæ appropinquantes in loco Toresii valde Urbi propinquo latitarent, ut signo dato (quod voce hominis fieri potuisset) ex insidiis ad civitatem cursu quidem celerrimo properarent. Convenerant autem uti linteo hastæ circumligato quam primum Ravennates milites portam aggressi forent, signum pro mœnibus darent. Postremo persæpe missis nunciis ad Guidonem Antonium, qui fere per unumquodque mille passuum de certo itinere militum referrent: sequeretur ipse magna cum civium Faventinorum, & hominum agrestium multitudine, quos eo in agro audacissimos esse cognovimus. Nec profecto dubium erat quin portam, & eam partem civitatis, ac forum tenuissent, priusquam rumor ad civium, ac militum nostrorum aures pervenisset, aut quisquam eorum arma cepisset. Quod nisi Deus ex alto prospiciens tam immane facinus patrari prohibuisset, quanta calamitas civibus nostris illata fuisset! quando ipsi tyrannidem, a qua nuperrime se liberaverant ferre noluissent; & illi e contra armati jam ferme tota Urbe potiti essent. Hoc firmato consilio, tandem circiter Idus Julias dies facinoris conficiendi advenerat. Dumque omnia parata essent, milites præmittuntur, qui cum Raffanariæ

flumen circa vigiliam ſecundam noctis trajeciſſent; non ultra progredi, ſed aliquandiu ibi morari conſtituere, ea potiſſimum ratione, quod non amplius quam decem millia paſſuum a civitate diſtarent, & eſſent loco ſilveſtri, & ab incolarum habitatione ſatis remoto: Ne forte ſi ultra progrederentur, aut ſtrepitu pedum, aut hinnitu equorum rem incolis patefacerent. Nec enim ulli dubium eſt, quin re cognita, longo noctis ſpatio permulta eis adverſa fieri potuiſſent. Igitur omnes equis deſcendentes ibi conſtitere, dumque humi quidam requieſcerent; alii invicem confabularentur: primum equi eorum repente inter eos tumultu exorto, ab ipſis aliquantulum diſceſſere. Dehinc e veſtigio (quis credere poſſet?), cœpere milites hinc inde per agros veluti inſani, & amentes vagari; plerique armati trans amnem ferri; omnes vulnerari, nec dum vulnerarentur, ſentire, nec a quo ictus inferrentur dignoſcere, quippe qui neque ſui, neque rerum ſuarum meminiſſent. Itaque omnes ea nocte ſine mente huc atque illuc erravere. Sed cum jam dies exortus eſſet, cuncti ſibi reſipiſcere videbantur. Tunc vero unuſquiſque ſua, & aliorum vulnera cernere, nihil dicere, omnes admirari. Jam videre potuiſſes magnam, & admirandam facti atrocitatem, & ipſum Guidonem oculo evulſo, & tenui nervo pendente ſaucium, ac omnes alios mirum in modum vulneratos. Cernere erat habenas, phaleraſque equorum immutatas, haſtas omnes, ac thoraces confractos, nullumque ſuis, ſed alienis invicem veſtibus commutatis, & nobiliſſimum quemque ſordidiſſima veſte indutum. Vidiſſes nanque Federicum, comitem Urbini pannoſa tunica veſtitum, in ſinu pateras quatuor habentem, quas puero ſuo dederat poſt ſe deferendas. Sed id certe mira-

bilius fuit, cum multi letaliter vulnerati essent, nulli tamen eorum interiere. Guido itaque Benzonus oculo, quoniam non omnino erutus esset, sed tenui nervo suspenderetur, eo suum in locum reposito, liberatus est. Quatuor tantum equos in loco, ubi constiterant, mortuos reperivere. Multa præterea alia ibi contigere, quæ brevitatis causa prætermittenda censui, quando mihi satis dictum videtur pro stupenda rei magnitudine. Quæ adeo mihi incredibilis visa est, ut diu anceps fuerim scribenda ne an penitus reticenda foret. Atque eo vehementius, quoniam minores nostri, rem istam secum putantes, quasi id fictum, & pro falso judicabunt. Qui si cogitaverint a quibus ego viris, nec uno contentus id sciscitatus fuerim, qui huic rei interfuere, profecto existimabunt me magis vera, quam falsa conscripsisse. At si erunt nostris temporibus, qui minime crediderint, adsunt qui hujus rei, & viri quidem egregii, testimonium perhibeant, ex quibus aliquos, qui huic rei interfuere, quoniam clarissimi sunt, nominare constitui. Federicum scilicet Comitem Urbini Principem Firmanum, Colam Antonium equitem Neapolitanum, Raymundum, & Antonellum Nucerenses, Scaramuciam Romanum, & strenuum Guidonem Benzonum, a quorum nonnullis, & permultis item aliis, tum interrogans, tum ipsis ultro prædicantibus diligenter didici. Hoc autem tam grande, & certe inauditum miraculum optimi, & maximi Dei potentia factum esse, quis dubitet, & beatorum Martyrum, præsulumque nostrorum auxilio contigisse? Profecto postquam ad aures meas ea pervenerunt, Archiepiscopi *Gratiosi* prophetia sæpissime venit in mentem: cujus ista sunt verba. *Ravenna Urbs, nequaquam ab hoste capieris; verum paulatim destrueris invidia:* Ideo nunquam com-

pertum eſt vel vi expugnatam, vel proditione captam fuiſſe, niſi omnibus aut majori ex parte civibus ſeſe dedentibus. Nam Theodericus Gothorum Rex, licet ducenta millia armatorum haberet, & eam triennio obſediſſet tandem urbe nequaquam potitus eſt, niſi icta pactione cum civibus, & Odoacro. Sed de Præſulum ſanctitate hactenus. Nunc autem vetuſtiſſimas quasdam inſcriptiones, & epigrammata, quæ marmoreis in lapidibus cernuntur, quia antiquiſſimam illam eruditionem, & nobilitatis veſtigia præ ſe ferunt, hic interſerere non erit injucundum, licet in calce operis omnia ordine quodam apponere ſtatuerim, quæ non parvam Urbis noſtræ dignitatem, ac vetuſtam excellentiam oſtendant. Omitto tamen, quas dixi litteras ad portam Auream inciſas: Sat eſt enim illas ſemel commemoraſſe. Aliæ quædam inſcriptiones pluribus in locis reperiuntur: & in primis apud divi Petri ædem marmoreo in ſepulcro inſcriptio vetuſtiſſima.

Flaviæ Quinti Filiæ Salutari Conjugi Rariſſimæ, Lucius Publicius Italicus Decurio Ornavit, Et Sibi Vivus Poſuit, Hic Collegio Fabrum Militiæ Ravennatis, Sextertios Triginta Millia Non Vivus Dedit, Ex Quorum Reditu Quot Annis Decurionibus Collegii Fabrum Militiæ Ravennatis In Æde Neptuni, Quam Ipſe Extruxit, Die Neptunaliorum Præſentibus Sportulis Denarii Bini Dividerentur Æde Decuriæ Vigeſimæ Octo Suæ, Denarii Centeni Quinquageni Quot Annis Darentur, Ut Ex Ea Summa Sicut Soliti (Sunt, Arcam Publiciorum Flaviani, Et Italici Filiorum, Et Arcam, In Qua Poſita Eſt Flavia Salutaris Uxor Ejus, Roſis Exornent De Denariis Viginti Quinque Sacrificentque, Ex Viginti Sextertiis, Et De Reliquo Ibi Epulentur, Ob

Quam Liberalitatem, Collegium Fabrum Militiæ Ravennatis Inter Benemeritos Quot Annis Rosas Publiciis Supra Sepulchrum, Et Flaviæ Salutari Uxori Ejus, Mittendas Ex Denariis Vigintiquinque Sacrificiumque Faciundum De Viginti Sextertiis Per Magistros Decrevit.

Ibidem etiam in Porticu exteriore marmoreum Sepulcrum extat, in quo clarissimi Poetæ Dantis Aligerii corpus situm est, cujus epitaphium, quod sibi mirum composuit, in ipso marmore incisum tale est.

Jura Monarchiæ, Superos, Flegethonta, Lacusque
Lustrando Cecini, Voluerunt Fata Quousque;
Sed Quia Pars Cessit Melioribus Hospita Castris,
Auctoremque Suum Petiit Fœlicior Astris;
Hic Claudor Dantes Patriis Extorris Ab Oris.
Quem Genuit Parvi Florentia Mater Amoris.

Alio in Sepulcro, apud ædem S. Joannis Evangelistæ.

Aureliæ Maternianæ Coniugi Incomparabili, Quæ Vixit Annis Mecum Viginti Duobus, Sine Ulla Querela Aurelius Liberalis Maritus.

Item in eo loco.

Sergia Olympia Sibi, Et Lucio Sergio Ruffo Filio, Et Lucio Caltilio Tespio. Hoc Monumentum Hæredes Non Sequitur.

Ad ædem Sanctæ Agnetis.

Diis Manibus = Aulus Fabius, Onesimus Vivus Fecit Sibi, Et Martiæ Nymphæ Coniugi Optimæ.

Apud ædem Cathedralem.

Aureliæ Matidiæ Marcus Aurelius Juſtus, Et Aurelia Marina, Sorori, Et Infanti Dulciſſimæ, Bene Merenti Poſuerunt.

In eadem æde.

Bonis Manibus ⵉ Aulus Suvius Marinus Sibi. Et Coniugi Suæ Aureliæ Theoderæ Dulciſſimæ Feminæ Vivus Poſuit.

In Eccleſia Sancti Apollinaris in Claſſe.

Diis Manibus Valeriæ Didiæ, Valeria Tertia Matri Pientiſſimæ.

In Sacrario ejusdem Eccleſiæ.

Cajus Julius, Priſci Vixit Annis Sex, Menſibus Decem, Diebus Octo, Julius Germanus Armorum Cuſtos, Et Valeria Marciana Parentes.

In porticu ejusdem Eccleſiæ.

Publius Ælius, Ciſſus Sibi, Et Ligariæ Ammiadi Vivus Poſuit, In Agro Pedes Quindecim, Infra Pedes Viginti Quinque. Hic Locus Hæredem Non Sequitur.

Complura alia epigrammata, & inſcriptiones hinc inde integræ, ſed plures confractæ reperiuntur. Quæ & ſingillatim referre longum eſſet. Sat erit de multis hæc pauca adduxiſſe, quæ nobis abunde maximam Urbis vetuſtatem inſinuant. Pleraſque alias, ut ſuis in locis reperiuntur, in fine libri ſcriptas collocabo. Sed nec illud Herculis cœlum collo ferentis ſimulacrum, adhuc magna

ex parte integrum, quod vario olim delusa errore gentilitas, pro numine coluit, prætermittendum censui. Mirabile quondam, & præclarum, ut plane constat, opus; ab eo etenim quædam Urbis regio etiam in hodiernum tempus Herculana denominatur. Nunc quoniam de Sanctitate, dignitate, ac Urbis vetustate nostræ satis dictum videtur, de Eversione deinceps explicandum esse existimavi.

ADNOTATIO.

Inscriptiones ad Ravennam quomodolibet pertinentes hic interseri Spretus; itemque alias ab se intra Urbem congestas se ad calcem Operis exhibiturum pollicetur. Sed ne semel, atque iterum repetitæ fastidium Legenti pariant, & quas ille sua ætate congessit, & quas undique ipsi tum intra tum extra Urbem collegimus, post Italicam Versionem Lectori exhibere satius esse judicamus.



DESIDERII SPRETI

DE EVERSIONE URBIS RAVENNÆ

LIBER SECUNDUS

* * * * *
* * * *

Quam primum civiles diſcordiæ , ac bella inteſtina exorta ſunt , Urbs ipſa Ravenna, quæ , ut oſtendimus , florentiſſima fuit , vaſtari , & quodammodo ruere cœpit . Nam , ut inquit Saluſtius , Concordia res parvæ creſcunt , diſcordia maximæ dilabuntur . Urbs etenim Ravenna , ut ſupra commemoravimus , generoſis olim civibus ornata , ac illuſtrata fuit . Quos cum ex opulentia , atque otio , ut accidere ſæpe videmus , avaritiæ , ac Imperii cupido invaſit , ſeſe omni injuria , atque contumelia aſſidue vexare , ac laceſſere cœperunt . Hinc cædes , atque rapinæ , hinc nefanda facinora , ac horrenda ſcelera patrari . Moxque civitas in deterius prolapſa eſt , & in hanc , quam dicturi ſumus , vaſtationem , ac miſerandam ſolitudinem deducta . Quibus quidem de rebus ſuccincte dicere aggrediar , non longe exordia repetens , ſed recentiora quædam , & noſtris magis propinqua temporibus . *Traverſarii* igitur , ac *Polenteſii* ejus Urbis potentiſſimi cives fuere genere , opulentia , ac viribus inſignes , & præditi ; qui cum inter ſe ob principatum diſſiderent , armiſque contenderent , alteri alteros ex Urbe eicere conati ſunt . Hinc ab eis factiones non parvæ aliquando in civitate ſuſcitatæ fuere. Contigit vero nonnunquam , ut Traverſarii Polenteſios , & quosdam factionis eorum cives eicerent , quosdam ca-

ptivos efficerent, nonnullos etiam interimerent, ædesque plurimas everterent, atque Urbe tandem audacissime potirentur. Idem quoque in Traversarios aliquando a Polentesiis factitatum est, qui victores facti, urbem etiam aliquandiu tenuere. Quo effectum est, ut alternis fortunæ vicibus nunc hi, nunc illi honores, dignitates, magistratus Urbis consequerentur; plebem vero, & reliquos cives largitionibus profusis, ac impensis immoderatis allicere enixissime studebant: multos sublevare, & alere; plerosque tum nobiles, tum plebejos beneficiis sibi devincire: Quibus audaciores facti, summam dominationis facilius obtinere posse arbitrabantur. Ceterum Ostasius quidam equestris ordinis ex Polentesiorum familia, vir ad omnem rem, & facinus promptissimus, tanta discordiarum semina jacta perspiciens, Urbem ipsam per tyrannidem occupare non dubitavit, ut pro ejus arbitrio, atque libidine solutis legibus civitatem regeret, itaque effecit; Cui deinceps in tyrannide successere Bernardinus Pandolphus, & Lambertus fratres eodem Ostasio progeniti, ab ipsoque Bernardino, Guido genitus, a quo alter Bernardinus, alterque Ostasius Oppizo, Aldrovandinus, Azo, & Petrus; & ab Oppizone Ostasius omnium novissimus, qui quidem Ravennæ Urbis dominationem perpetuo annis jam centum, & quinquaginta tenuere: tot enim ab Ostasio primo in eam usque diem, qua Ostasius hic ultimus ejectus est, connumerantur. Quos tametsi ab initio dominationis modeste, humaneque Urbi quodam modo imperaturos esse omnes judicarent, tamen adeptum post dominium quædam eos ob dominandi cupidinem suspicio, sævitia, atque crudelitas invasit, ut sub ipsis quidem, ut ita dixerim, ne oscitare quisquam auderet. Cum libere

dominari cœpissent, Nobilitas omnis perterrita, & vehementer perculsa est; Siquidem cives universi, qui tunc in Urbe pollebant, comminutis eorum facultatibus, atque potentia, aut in vincula conjecti, aut proscripti fuere. Complures etiam nobiles, ac spectatæ Familiæ in exilium actæ sunt: quarum aliquas hic referre haud alienum putavi. Exularunt nanque Honesti, Traversarii, Bichi, Pochepenni, ex Gheccis, & Saxis aliqui; Gervasii, Frixii, atque Genarii; omnes quidem egregiæ, honestissimæque familiæ. Permulti etiam præstantes, & generosi cives ab ipsis Polentesiis tyrannis ultimo supplicio sunt affecti, e quibus recentiores quosdam recensebo, ut eos omittamus, qui in initio, & progressu dominationis eorum interiere, quoniam non omnium memoria ad ætatem nostram usque pervenit. Egidius scilicet Martellinus jurisconsultus; Arardus Spretus egregius, & præstans ex nostra Familia vir, Nicolaus Tuduranus, & Gulielmus Mongardinus, omnes certe viri optimi, atque sapientes. Nec aliam ob causam isti ab Oppizone Polentesio diversis temporibus sunt trucidati, nisi quia illi nimis ei sapere videbantur. Plerosque alios ornatissimos cives enumerare possem, quos ea vis tyrannica vel proscripsit, vel interemit; Sed eos ne longior essem missos facere constitui. Denique, ut rem paucis absolvam, tanta tyrannos illos dominandi cupido invasit, ut non modo in alienos, verum etiam in se ipsos plurimum sævisse compertum habeamus. Nam Pandolphus, & Lambertus, uti accepimus, in oppido Cervia, cui tunc dominabantur, Bernardinum fratrem natu majorem in carcere vinctum tenuerunt, a quo tandem cum exemptus fuisset, eosdem & ipse, ut par pari referret, in vincula conjecit. Guidonem vero gnati proprii perpetuo

inclusum carcere damnarunt. Oppizo autem, quo liberiore, ac securiore Urbis ditione potiretur, Aldrovandini germani mortem, ceteris jam extinctis fratribus, nefandissime procuravit. Proh! facinus: Nihil acerbius, nihil immanius, nil denique sceleratius facere potuissent quam se ipsos, & fratrem frater, & patrem filius, cæca libidine, & cruentis manibus trucidare. Quædam insuper alia nostra hac ætate in ipsius Urbis perniciem, ac interitum contigerunt, quæ haud arbitror omittenda. Ostasio namque, quem proxime nominavimus, huic almæ civitati novissime imperante, Nicolaus Picininus, qui pro Philippo Maria gentium armigerarum dux, & moderator erat, ejusdem forsan Principis jussu e Liguria movens, cum ingentibus equitum, peditumque copiis, trajecto Pado, per agrum Bononiensem Ravennam venit, eamque obsidere constituit. Quare ad Ostasium primo & Ravennates Legatos mittens certam ab eis pecuniæ quantitatem expetere simulavit, quæ si non exhiberetur bellum indixit. Tandem cum in tela, ac sagittas, & alia hujuscemodi, quibus se viriliter tuerentur, potius se expostituros, quam indecore, ac viliter quicquam sibi daturos esse per Legatos intellexisset, cogitavit Urbem ipsam, si modo efficere potuisset, expugnare. Igitur non ultra cunctandum ratus, cum exercitu per casas agri Ravennatis evolans, ut ita dicam, permulta vinaria vasa ad portum Ravennatem, qui in mare ducitur, supra amnem afferri jussit, & lignis inter se quam firmissime colligatis, ac desuper compositis, pontem validum constituere, ac in flumen demittere curavit. Itaque totis viribus transire conatus est in insulam *Palazoli*, ultra ipsum amnem sitam, loco satis tuto, & non parum munito; Nam ipso amne, mari,

Pado, ac fossa quadam ex Paludibus in Padum derivata, ipsisque paludibus cincta est, quæ difficillimum sibi præstant ingressum. Facile enim civitatem opprimi, ac vinci posse arbitratus est, si eam insulam, in qua jumenta, boves, & cetera animalia, quibus Ravennates maxime abundant, tuta, & ab hoste secura servantur, occuparet. Tamen nisi, adversante fortuna, nostri ipsi, qui hostibus viriliter obstabant, cessissent, non ita facile pontem demisisset, resistentibus e medio amne ratibus armatis Venetorum, quibus nobilis, ac præstans vir Maphæus Molinus tunc præerat, nonnullis etiam peditibus duce Antonello de Tolentino, quorum virtute, & virili pugna, hostes ita perculsi, ac perterriti fuerant, ut ad ipsum amnem non sine metu pugnare contenderent, sed in *Mariæ* monasterium, quod ibi insigne cernitur, se recipientes, illud sua pro tutela servabant. Accidit autem casu quodam, ut Maphæus Molinus, in cujus manu omnis fere salus nostra tunc reposita erat, dum strenue ageret, hostesque valde reprimeret, tum machinarum ictibus, tum telis, & aliis e ratibus ipsis in hostem submissis, ignem machinis ministrans, incendio in eum verso, totam fere faciem ureret: quo evenit, ut ea pugna relicta, sibi medendi, ac reficiendi gratia se in civitatem reciperet. Reliqui etiam, qui eo duce hostibus obstabant, perterriti nulla vi fugati in Urbem retrocessere. Antonellus vero, qui ex ripa fluminis hostes valido impetu reprimebat, Maphæo excedente ab hostibus, ponte in flumen demisso, suis cum peditibus veloci quidem cursu ad civitatem properavit. Hostes igitur, ponte demisso, in insulam convolavere, & eo loco occupato per totam insulam, & usque ad portam civitatis, quæ *Anastasia* dicitur, vagari, ac discurrere

cœperunt : quidquid vel hominum , vel jumentorum obviam fuit , rapientes . Interea magnanimus dux Estorgius Manfredus , qui cum Nicolao tunc militabat , ducentis cum equitibus Bagnacaballum oppugnaturus proficiscens illud Nicolai ope , & consilio , ceteraque Ravennæ oppida , incolis tamen sese dedentibus , nulla vi , nulla etiam pugna suscepit , & suæ ditioni subdidit . Ostasius igitur civitate Ravenna ab hostibus obsessa , afflictisque rebus , Legatis ad Nicolaum missis rem cum eo componere studuit . Summa rei hæc fuit : ut libere Ostasius civitati dominaretur , Ducisque Mediolani tutelæ , ac commendationi subjiceretur . Venetos vero , quorum tutela tam diu Polentesii servati fuerant , ejiceret , hostesque infensos judicaret , immemor paternæ jussionis : Mandaverat enim sibi pater , ne a Venetis unquam dissentiret . Tria etiam millia denariorum aureorum sibi idem Nicolaus enumerari , tribuique ab Ostasio pactus est , non abiturus , nisi receptis . Nec mora fuit , ea inita pactione , illorum partem e manibus civium , ac rusticorum extortam , partem ex ipsius Ostasii pecuniis ad Nicolaum mitti . Pepigerant etiam , ut oppida , quæ nuper ab Estorgio capta diximus , restituerentur . Sed id minime effectum est , Estorgio resistente . His itaque gestis Ostasius forte quibusdam nuntiantibus audierat , quod cives regno privare , ejicere , & alium sibi Principem præesse optarent . Hæc prudenti , ut erat , animo secum versabat , nonnullisque accersitis civibus , coram affatus paucis interrogavit , an se , an alium sibi Principem præesse affectarent , idque sibi , ut palam , & aperte dicerent , jussit . Ita ut imperium sponte quodamodo renuntiare videretur . Sed cives sua quadam innata mansuetudine id , quod ab Ostasio dictum erat , li-

benti animo accipientes, ut eum Principem denuo confirmarent, facile consenserunt. Per id vero tempus Nicolaus haud segnis, & otiosus fuit, sed ad alias Flaminiæ civitates, & loca exercitum ducens, Ravennæ nonnullis delectis peditibus in præsidio relictis, Forum Livii primo, a civibus sese Antonio Ordelaffo subjicientibus, inde Forum Cornelii, ac Bononiam Urbem præstantissimam, & oppida permulta in suam potestatem, & ditionem redegit. Sed institutum nostrum prosequamur. Ostasius parentem, & alumnam suam illustrissimam scilicet Venetorum celsitudinem, a qua tam diligenti cura, & paterna fuerat dilectione tutatus, deserens Philippo Mariæ, ac Nicolao Picinino, quem non nisi hostem etiam infensum antea noverat, adhæsit, id sibi longe profuturum confidens: sed eum sua fefellit opinio. Postea itaque imagines, ac picturas omnes Sancti Marci, & alia præclara Venetorum insignia, quæ Ravennæ multis in locis ob civium omnium in eam inclytam Venetorum dominationem observantiam picta, & impressa erant, ex omni parte deleri, & *anguem* illum tortuosum publicis in locis pingi studiose curavit. Incredibile vero quoddam accidit. Nam Ilarius quidam Parmensis Carpentarius incola Ravennæ, cum sponte sua imagines, ac picturas ipsas ex omni loco dirimeret, & propria manu deleret, repente omni cum prole sua vita excessit. Ejus igitur draconis præsentia, perinde, ac alicujus teterrimi hospitis, abominabilisque prodigii, mox pestiferi civilium simultatum, discordiarum, seditionumque ignes per totam ferme civitatem incensi sunt. Ita prioris mansuetudinis, ac humanitatis obliti fuere, ut non amplius Ravennates, sed raptores, homicidas, ac seditiosos homines posses appellare; non omnes

quidem, ſed plebejos quosdam, & abjectos homines, qui malo hujus Reipublicæ nati fuerant. Cum hi viros quidem optimates, civeſque præſtantes per omnem injuriam, atque contumeliam continuis inſidiis vexarent, & quæque ad Reipublicæ, ac civium perniciem, & interitum pertinerent, omni ſtudio, omnique conatu molirentur, & agerent: nulli rei magis ſtudentes, quam cives, & viros bonos perturbare, quosdam variis contumeliis laceſſere. Per dies, noctesque furta, rapinæ, & reliqua permulta malefacta patrabantur: Omnia per libidinem, & animi intemperantiam eis agere licebat. Quid agerent, aut quo ſe cives optimi verterent minime ſciebant: hac etiam tempeſtate permulti nobiles viri, & alii complures crudeli nece periere: quorum hic necem interſerere non erit incongruum, nec a re noſtra alienum. Ruſtici quidam, e manibus quorum idem Oſtaſius pecuniam, de qua ſupra diximus, tum maxime extorquere ſtudebat, armata ad forum manu procurrentes, ubi de ſolutione contenderent, ac recuſarent, repente e foro fugati ad proprias domos feſtinare compulſi ſunt. Inde nonnulli in carcerem conjecti manibus, ac pedibus vincti; nonnulli & laqueo ſuſpenſi vitam finiere. Joannes item, cui *Malafera* agnomen erat, hoſtis interea habitus; ſed quid in patriam egerit, aut molitus fuerit non ſatis compertum habeo, non contenti, quod in patibulo obiiſſet, ejus etiam carnem quam ſæviſſime dilaniarunt. Cum hæc eſſet conditio rerum, cives nonnulli, quorum e numero fuerunt Opizo Monaldinus, Franciſcus ejus frater, Matthæus Balbus, Jacobus Tombeſius, viri optimates, & quidam alii impendenti civitatis ruinæ forte ſuccurrere ſtatuentes clam ad Illuſtriſſimum Venetorum Senatum mittunt, illique tradere civi-


tatem paciſcuntur . Tempus quidem , & modum ad rem patrandam conſtituunt . Per id tempus Oſtaſius , & cives permulti a civitate ob peſtem , quæ illam tunc valde urgebat , aberant . Re igitur per hunc modum conſtituta , quingenti delecti pedites navibus vecti Ravennam in portum *Pirotoli* ejusdem Senatus juſſu mittuntur , ad hanc rem quam maxime perficiendam : hæc autem & inter cives ipſos ſummo fuerant conſilio proviſa , ut inde nocte pedites moverentur , & ad civitatem accederent ; perpauci quidem in occulto ſub portam civitatis , quæ *Anaſtaſia* dicitur , collocarentur ; nam prima luce ea porta reſerari conſueverat : Reliqui vero omnes in *Mariæ* , ut appellant , *in rotundo* monaſterio eidem portæ ſatis propinquo , in inſidiis conſiſterent , donec perficiendæ rei tempus adventaſſet . Cum eis erat Franciſcus ipſe , de quo diximus , factum accelerans . Intus vero ad portam quidam ex civibus ipſis adeſſent : ut cum porta jam plane aperta foret , utrinque præoccuparetur : qua capta , pedites civitatem ingreſſi , tum terribili , atque repentino tubarum ſonitu , tum vocum clamoribus pro inclita ſe Venetorum celſitudine adveniſſe ſignificarent . Haud dubium erat , quod civitatem ſumma pace in manu habuiſſent , ob fidem integram , ardentiſſimumque amorem , quod eidem Imperio Veneto Ravennates devincti ſemper fuere . Verum peditibus ex portu jam dicto ad civitate nocte properantibus , ruſtici quidam egreſſi civitate , ut ligna ex pineto plauſtris importarent , obviam fuere , quibus non ſano conſilio prætermiſſis , unus ad Civitatem diverſo properans itinere , pedites prævenit , hoſteſque adeſſe nunciavit . Per hunc modum res prodita eſt , & ſuum omne conſilium irritum fuit . Sed cum dies illuxiſſet , rem hoc modo experiri ſta-

tuerunt Mœniis civitatis appropinquantes, cives, qui pro mœnibus ſtabant, vocarunt, atque eorum unus, qui ceteris præerat verba faciens: Quid aliud, inquit, cupitis, Ravennates, quam, quod ſaluti, & amplitudini veſtræ conducere poteſt, facile conſequi? Nos introducite, qui pro Illuſtriſſimo Venetorum Senatu venimus; Accepturi enim eſtis proculdubio quidquid pro ſalute civitatis, & veſtra concupiſcitis. His verbis nil aliud reſponſum eſt. Sed cum ſignificaretur Venetos adeſſe, tum ad portam, tum ad forum, Opizo, & ceteri, qui rem animo gerebant, concurrere; dumque in foro conveniſſent, in frequenti civium corona, ita palam exorſus eſt Opizo. Audio, inquit, viri optimi, quosdam pro inclita Venetorum celſitudine extra Urbem prope mœnia adeſſe, qui non niſi ſalutem noſtram, & civitatis amplitudinem expetere videntur. Suadeo itaque eos abſque mora in Urbem admitti, ac introduci debere, & juſtiſſimo nos Imperio ſubdere. Sciebat enim eos, qui tunc in foro convenerant, id nequaquam moleſte ferre, ſed libenter, ardentique animo ſuis verbis aſſentire. Nec eum certe ſua fefelliſſet opinio, niſi unus, omnibus aliis tacentibus, non dicam reſpondiſſet, ſed ſtricto gladio comminatus eſſet. Neque certe fuit alius, qui in tanta civium frequentia illius ſententiam improbaret. His ita factis, dictiſque, cœtus omnis e veſtigio ſolutus eſt, & ſuos quiſque lares petere feſtinavit. Nec fuit, qui hanc illius ſententiam, vel ex conjuratoribus comprobaret. Opizo autem cum jam manifeſte cerneret omnia in caput ſuum agi, civitate egredi decrevit, & huic tam imminenti periculo cedere. At pedites, & Franciſcus Monaldinus cernentes ſuum omne conſilium fruſtrari, etiam abire ſtatuerunt. Cumque Opizo jam tenui juvenum manu

ſtipatus abiret, & Cæſenam verſus iter faceret ingruentibus tenebris apud Roncum agri Forolivii cum ſuis omnibus hoſpitio ſe recepit. Ibi nocte cum plane jam res ipſa vulgata foret a Ruſticis quibusdam captus ſuſpicionis dumtaxat proditæ urbis gratia, vinctusque Forumlivii ad Magiſtratus diligenti cuſtodia ducitur. Ibi vero minis, & tormentis compulſus conjuratos, & rem omnem detexit; Nec mora fuit, quin per nuntios hac de cauſa miſſos Oſtaſio omnia ſignificarentur. Qui nulli rei magis ſtuduit, quam conjuratorum reliquos in aſperrimum carcerem detrudere, Matthæum primo, deinde Jacobum, cujus tamen captura longe nimis remorata eſt. Nam is, ubi Matthæum carcere detentum intellexit, omnibus modis tentavit effugere. Tandem apud lares homunculi latitans, in quibus ſe noviſſime receperat, captus eſt, in vinculaque conjectus. Variis deinde ambo cruciatibus affecti: Alter licet ex manibus carnificum ſumpta veneni potione evaſerit, tamen in exilium exactus eſt; alter vero impie necatus e vita deceſſit. Opizo autem, quem ad Livienſes ductum eſſe diximus, magno quidem auri pondo redemptus eſt, ſed impiorum manus non effugit. Nam Joannes Piſagnolus, qui & a patria exul erat, & cum eo ſimul Venetiis cohabitabat, ſua vel animi malignitate, vel Oſtaſii ſuaſione, incautum repente adortus interemit; Cujus certe facinoris ſatis dignas pœnas pertulit. Hac etiam tempeſtate Jacobus Raiſius Eques, ac juris interpres, & civis profecto præſtantiſſimus, qui apud Oſtaſium quorundam voluntates reprimere forte conabatur, & conſiliis obſiſtebat, trucidatus eſt. Quodam enim tempore, dum ex atrio Oſtaſii medius inter optimos viros Guelfum phyſicum, & Petrinum Melium domum primis tenebris repeteret,

aliqui in foro præocupatum, ac ſejunctum ſtrictis enſibus; compluribus vulneribus percuſſerunt. Marvelus etiam ruſticus hoc tempore culpatus, quod cum hoſtibus ſenſiſſet, & de porta civitatis cum Franciſco colloquium habuiſſet: iſta vi tormentorum confeſſus ſe nocentem, crucis pœnam ſubiit, vitamque finivit. Sed poſtea compertum eſt nedum id effeciſſe, ſed nec quidem excogitaſſe, tum id aſſeverante Franciſco, tum aliis, qui patriæ tunc hoſtes ſunt judicati. Per id tempus Martelinus civis optimus in carcere concluſus, orta ſuſpicione quod cum Venetis ſentiret, propterea, quod tunc claſſis quædam e Venetiis in portum Sapis advenerat, variis ob id tormentis agitatus eſt: Sed nihil eum in patriam machinatum eſſe poſtea compertum; & tamen e patria, domoque exulavit, pauloque poſt diem ſuum obiit. Præterea Baptiſta Joannis Picinini vir in Urbe opulentiſſimus in ſuſpicionem devenit vel quod graviter Oſtaſii dominationem ferre videretur, vel eo, quod Joannes ejus natus ardenti devotione Venetis deditus eſſet, & eorum partibus faveret, quem & patriæ hoſtem pridem judicaverant, exilioque damnaverant, non multo poſt relegatus, & ad Franciſcum Picininum, Nicolai filium armorum Ducem apud Caſtellum Sancti Petri agri Bononienſis miſſus eſt magno cum vitæ, & fortunarum ſuarum periculo: Franciſcus vero præter ſpem, & multorum expectationem eum benigne ſuſcipiens incolumen ſervavit, atque accurate effecit, ut tute poſſet patriam, & lares proprios habitare. Longus autem eſſet ſermo ſi cuncta enarrare voluerimus, quæ in interitum, & perniciem Urbis, ac civium eo tempore patrata ſunt. Satis erit de multis hæc pauca collegiſſe: quibus & temporum, & rerum conditio non obſcure patere po-

teſt. Acerba certe eſt hujus temporis memoria, & res tum auditu horribilis, tum viſu crudelis. Quis noſtrum non ingemuit? Quis non arſit dolore, cum ſane neſciam quid miſerius, quid acerbius, quidve luctuoſius Urbi noſtræ ea in tempeſtate potuerit accidere? Sed de Everſione ſatis hæc dicta. Nunc de Reſtauratione dicendum.



DESIDERII SPRETI

DE RESTAURATIONE URBIS RAVENNÆ

LIBER TERTIUS

* * * * *
* * * *

Quanquam ea, quæ ſuperiori ſcripſimus Libro, pro ſingulari noſtro erga patriam amore nonnihil animum conturbarint, illa me tamen ratio conſolatur, quod, ſi res tunc adverſas Urbs noſtra perpeſſa eſt, ea tandem mala ad extremum præſtiterunt, ut Civitas ipſa, quæ longiſſimo tempore ſub Polenteſiorum tyrannide deſolata, inculta, ac vaſtata, mœſtaque ac lugubris jacuit, ſub mitiſſimum demum, & auguſtum Venetorum Imperium divino quodam munere veniens priſcas vires reſtauraret, ac illorum nunc oblita temporum magnopere lætetur, & plaudat: Nam cum ea eſſet infelix, & miſera conditio rerum, ſtatuere cives nonnulli Venetorum partibus faventes Urbem hanc noſtram e manibus Ducis Mediolani, ac ejus Imperatoris Nicolai Picinini, penitus eripere, & eorum memoriam e Ravenna delere. Civitatem vero, & Oſtaſium inclitæ Venetorum celſitudini, ſuæque protectioni commendare. Hanc rem cum *Nanne Carlono* Veneto, ordinis plebei viro optimo, qui tunc Ravennam mercator frequentabat, & ob hoc forte ab Senatu miſſus fuerat, communicavere. Is autem cum eſſet fidei integritate Venetis notiſſimus, nobis autem ſumma benevolentia conjunctiſſimus, ad eam rem peragendam multopere ſuadebat, hortabaturque. At ubi de re collocuti ſunt, qui

negotium animo gerebant , aecersito viro Nobili Donato Donato , qui ejusdem incliti Senatus ratibus præerat armatis , & de industria eo missus portui Ravennati cum eo *Nanne* immorabatur , per portam *Anastasiam* extenso Sancti Marci vexillo , populo annuente , ac vocante eos introducere festinarunt , & ad forum procurrentes magna omnium lætitia suscepti sunt . Tum gloriosum Sancti Marci nomen ore uno invocantes jubilabant omnes , lætabantur , & exultabant . Sono , fidibus , & cantu resonabat aer : Postea vero tanta tranquillitas , tanta quies universæ mox civitati influxit , ac omnes e prioribus odiis , & furoribus ad pacis , tranquillitatisque amorem traducti sunt , ut nesciam an beatius , feliciusque vivere potuissent . Nec multo post æquissimi ab Senatu Magistratus Ravennam delegantur , quorum summa justitia , & æquitate recte omnia gubernarentur . Jam omnia legum rigore , omnia more majorum , omnia ex æquo , & bono procedebant : Jamque nocturni omnes , ac diurni metus aberant : quippe illorum virtute præcipua , atque opera simul , & humanitate tota civitas conquievit . Id quoque perpetuum sane fuisset , nisi vehemens quædam ingruisset suspicio , quæ maximam populo dubitationem peperit . Quare effectum est , ut pro singulari atque unica medela , qua tam pestifer morbus curaretur a Senatu missus est magna cum celeritate equestris ordinis Vir amplissimus , ac magnis in rebus spectatissimus *Jacobus Antonius Marcellus* , qui tunc temporis in exercitu Romani Pontificis Venetis confœderato in Romandiolæ finibus apud Reverendissimum Aquilejæ Cardinalem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatum a Latere Senatus Veneti erat Orator . Cur autem hic Marcellus tantæ & auctoritatis , & gloriæ vir a tam ardua exercitus illius pro-

vincia revocatus, ac tanta cum celeritate nostram in Urbem venire coactus sit causa extat; quippe quum videretur uti solitum, ac perniciosum consilium non segregabatur ab Ostasio Principe, quin ei potius in dies augebatur cupiditas, ut se in pristinum statum vendicaret, ac iterum Mediolanensium Duci dederet se. Hac igitur de causa, vel potius, quod vulgo creditur, divinitus boni communis causa, quod in hujus rei calce latissime patuit, hæc suspicio populi animos hujus divini potius, quam humani Veneti regiminis amatoris irrepsit; quum is præsertim majorem in modum formidaret, ne qua in præteritum tyrannicæ gubernationis reverteretur aculeum: quo unumquodque gravissimum quamvis tolerabilius extitisset supplicium. Unde omnes fere cives primarii una cum plebe, & suburbanis hominibus, qui causæ prius fuerant, cur civitas e Ducis Mediolani manibus evulsa in pristinam Sancti Senatus Veneti fidem rediret, ut diximus, cum privatim tum publice quasi tota in Urbe continue varios susurros edebant. Qui cum in dies crescerent, atque ad Senatus aures pervenirent, timens ne civitas tali suspicione perculsa aliquod se in præcipitium daret, quod & facile potuisset accidere, & quanquam hic Prætor a Senatu designatus esset, videbatur tamen, quod hoc ingruente casu, majore munimine, ac gubernatione opus esset, quæ plane eos haud fallebat opinio, hunc summa cum Imperii dignitate Marcellum elegit, qui perinde, atque dictator civitati, ac Ostasio recte consuleret, illumque veluti Filium inclito Senatui commendatum in ditione Urbis cum omnium civium benevolentia conservaret. Cujus quidem virtute præcipua, ac summa integritate, ita omnia & bello, & pace sapientissime administrata sunt, ut omnium

civium nostrorum studia in Venetorum benevolentiam, ac devotionem summopere accensa sint; nec præter ipsorum Imperium ullum aliud exoptarent. Hujus igitur cupiditatis vehementia ducti, atque illius iniqui consilii suspicione quasi ultro currentes impulsi, quod die, noctuque in Ostasii Principis animo vigebat, timentesque insuper, ne id eos ambiguis laqueis, ac diris præteriti status retibus irretiret, sæpissime eorum plærique communi pœne omnium consensu ipsi Marcello dixere, se nullo pacto Ostasium Principem ferre velle, Urbemque, ipsam Venetorum Imperio subdere decrevisse, ut hac tam diu exoptata, omnique studio, ac diligentia quæsita quiete ullo absque metu secure frui possent. Atque ea de causa quandoque in templo Sancti Spiritus primatum civium concilia celebrarunt. At vero Marcellus utpote ad tutelam Ostasii Principis missus integritati suæ, ac Veneti Senatus famæ consulens tum mitibus verbis, tum asperioribus minis id fieri penitus vetavit. Quod cum illi animadvertissent tanta hominis fide, ac benevolentia flagrabant, ut ipsum Marcellum invitum, ac enixius reclamantem patrem patriæ, & Principem suum una omnium voce publice constituere vellent. Denique Marcellus cum pro Senatu Veneto fidem, ac integritatem suam inviolatam conservasset, tunc longe magis pro se privato cive intemeratam, immaculatamque tueri studuit, ac universis palam jussit, ne ea de re verbum ullum de cetero fieret. Postea vero nocte quadam, dum prima quies fessos mortales occupasset, atque hostes Urbem somno sepultam invasissent, qui in præsidio portæ Adrianæ locati erant, ut Marcello hostes adesse significarent tormenti unius fragore intonuere. Quo quidem audito, tumultus ingens per Urbem exortus

eſt, quondoquidem de Urbis proditione ſuſpicio quædam cunctos invaſit. Atque ecce Marcellus ſomno excuſſus ſine mora intrepidus exiliit. Inde forum prodiit, quo milites ſtatim convocans, ſingulosque ſingulis locis in præſidio diſponens civitatem ab omni metu, ſuſpicioneque liberavit. Tum cives univerſi, qui in forum ad Marcellum veluti Ducem ſuum pro tutela convenerant, occaſionem optatam nacti denuo civitatem Imperio Veneto dedere, aut Marcellum in foro publice Principem vociferari decreverant. Ceterum juſſorum antedictorum, ſanctiſſimæque integritatis ſuæ memores ſtudia, & ingentes cupiditates ſuas repreſſere. Intra paucos deinde dies ubi hi motus quievere, ac tumultus reſedit, adierunt Marcellum alterius Factionis capita, qui favere partibus Principis videbantur. E quibus natu grandior: Nos, inquit, animadvertimus quid adverſarii noſtri moliantur in tradenda Urbe Senatui, modo cogitatio ſua ſibi ſuccedat; Verum longe maxime falluntur, propterea, quod non in ſua, ſed in noſtra manu eſt, cui velimus tradere Urbem. Proinde nos, qui una cum Principe ſumma rerum potimur, pollicemur Urbem vobis daturos, vel Principe cæſo. Utrum autem hæc ſerio, & ex animi ſententia dicta ſint, ut annuente Marcello, res ſuccederet, an ex compoſito per cauſam tentandi, & explorandi animum ejus, & Senatus, incertum eſt. Marcellus hoc accepto, etſi indignitate rei commotus obſtupuit, quippe cui ſicuti cauſa prioris motus non parum moleſta fuit, ita multo moleſtius accidit, ut hujuſmodi promiſſis nex Principis accederet, tamen ſic eſt ad eos locutus. Quod jam ipſe publice, & privatim prædixi, vobis id quoque referre non gravabor. Non ſcilicet me eo nomine huc ab Senatu miſſum, quo iſta fie-

rent ; Sed , ut in fide , & officio Principem incolumen , & florentem continerem . Proinde , quemadmodum monui , & hortatus ſum adverſæ Factionis homines , ita etiam vos & hortor , & monitos velim , ut miſſis , & ſedatis iſtiuſmodi animis , amice , & pacate inter vos agatis , ita ut Princeps pro deſiderio Senatus in officio permaneat . Digna vox certe , & omni laude plena , mirifice gravitatem illam Sanctiſſimi Senatus Veneti redolens : Paucis vero poſt diebus decedentem Marcellum Princeps ipſe & univerſa fere civitas extra Urbem proſecuti ſunt . Nec poterat Princeps temperare a lacrymis , & crebris ſingultibus modum facere , adeo deceſſum ejuſmodi Tutoris , immo Parentis optimi moleſte ferebat ; & eo moleſtius quod Prætorem , qui modo venerat , ſignis quibusdam acerbiorem futurum jam ſibi intelligebat . Ad quem Marcellus , quo bene ſperantem redderet : Mitte , inquit , iſtas lacrymas : Eſto bono animo ; redibo actutum ad te : Ut aliquot inter nos lætos agitemus dies : Et ille excipiens ait : Quinimmo vix quindecim patiar excedere dies , quin te ipſe conveniam . Ubi vero aliquantum extra Urbem ventum eſt , continuit ſe Marcellus , apprehenſaque manu Principis , qui lateri ſibi hærebat , ſemotiſque omnibus , decem duntaxat adhibuit ex primatibus , quos fidiores , ſtudioſioreſque Princeps ſibi putabat , & hac uſus eſt oratione : Viri , & cives optimi , cum paulo ante Principem veſtrum ægrum lacrymantem ob diſceſſum meum intuerer , quo eum bono animo eſſe hortarer , & lenirem dolorem , dixi me cito rediturum . At is ſe citius iturum ad me ſubdit , quam quintusdecimus præterlaberetur dies . Converſuſque ad Principem , hos , inquit , cives teſtor meorum verborum in omnem eventum : Si tu hinc abieris , ſcito te poſthac

non dimiſſurum amplius claves Principatus tui , quem paulo ante proximum periculo fuiſſe , te Venetias petente , omnibus planum eſt , non dimiſſurum , inquam , *Jacobo Antonio* . Quod niſi tibi reconciliaveris populares tuos , & in gratiam ſecum redieris ſecus quam nunc facis , crede mihi , actum erit ; nec eſt , ut ſperes amplius tibi patere reditum in Urbem . Si mihi auſcultaveris , nuſquam diſcedes ; dabiſque operam una cum hiſce , qui tibi hoc ſuadent , reconciliandi tibi populares tuos tam internos , quam externos , & exilio actos ; quando præſertim finitimi hi Reguli omnes nihil aliud inhiant , & in primis affines tui Faventini , quam te Principatu exuere . Tui nanque cives non inquam eos , qui extorres ſunt , ſed qui Urbem , & agrum incolunt , ut qui gravantur , Imperium tuum & male abs te regi indignantur , proderent cuivis Urbem , ſi modo aliter facere haud queant . Hæc Marcellus omnia cecinit ; ut univerſæ Civitati conſtat . Quæ intra paucos dies veriſſima evenere ; non ſecus atque ſi vates quiſpiam ea prædixiſſet , aut divino oraculo prolata fuiſſent : At Deus omnipotens , & quod plærique horum ſic meruerint , & patriæ noſtræ tam communi commodo reſpiciens occœcavit animi eorum oculos , auriculas obturavit , corda obduruit , quo minus tam ſancto , & ſalutari conſilio ſapientiſſimi Marcelli obtemperaret . Interea Zinebra ſuaviſſima Oſtaſii conjux vel ſaluti ſuæ forte conſulens , vel ſuaſu quorumpiam , Venetias navigavit , & ibi aliquandiu reſidere conſtituit . Sed cum Oſtaſius illius ardenti quodam amore afficeretur , aut aliam forte deperiret , quam in præſentiarum minime nominare conſtitui , eas ſecutus Venetias frequentius adventabat . Vereor autem , ne aut culpa tanti facinoris , aut libido illius

perpetrandi , accedentibus quoqne multis , & tetris ſceleribus , quibus tum ſe contaminarat , tum etiam magis alios involvi permiſerat , eos ſcilicet , quibus ignavia quadam ipſe Oſtaſius plus tribuebat , quam exigebat & animi , & corporis ſtatuſue ſui ſalus , cauſa fuerit , quo in præceps rueret . Tritum eſt enim vetuſtate proverbium, propter peccata infortuniis plerunque affici mortales . Nam qui Deo accepti non ſunt , mente capiantur neceſſe eſt . Et proinde Oſtaſius captus , ut ſic dicam oculis , auribus , cordeque , haud quaquam intelligere potuit ſalutare , & ex omni parte perfectum conſilium Marcelli miſſi huc ab Senatu cum Imperio , tum pro ipſius Oſtaſii , tum univerſæ civitatis noſtræ ſingulari commodo . Noviſſime dum ſic Oſtaſius Venetiis commoraretur viri optimates , ac cives primarii cernentes nihil ſibi magis , ac Urbis dignitati , felicitatique conducere poſſe , quam ſeſe , ac civitatem ipſam mitiſſimo Venetorum Imperio ſubdere , Oſtaſium vero e principatu deponere , ad arma concurrunt , totamque civitatem ſuſcitant dum populus Apoſtoli Matthiæ ſacra feſta celebraret , anno tunc milleſimo , ac quadringenteſimo quadrageſimo primo ab adventu Salvatoris decurrente . Plebs itaque ſequitur tota . Vox una populi Sancti Marci nomen ac juſtiſſimum Venetorum Imperium repetit , & invocat , eique omnes ſeſe , ac Urbem dedere clamitant , & uno ore ſignificant . Hæc cum eſſent ſine ulla prorſus cujuſquam , aut cæde , aut cruciatu , vel proſcriptione , vel detrimento patrata , ſtatim Venetorum Senatui tum litteris , tum nunciis enunciarunt . At Senatus ſtatim cenſuit Urbem ſuſcipiendam , ne ſiniſtre ſecum ageretur , quod facile eveniſſet , priſtini Imperii pertæſa civitate . Et recte ſane id ab Senatu fieri poterat, quippe

qui præter officium nunquam animum induxiſſet eam Urbem recipiendi, ea eſt integritate jam inde ab Urbe condita conſtantiſſime ſupra milleſimum annum ſervata, & imprimis, quod cives ipſi ultro ſeſe dedidere. Urbe ſuſcepta, & exacto Oſtaſio culpa ſua, qui, ſi a prudentiſſimis monitis Legati Senatorii non abhorruiſſet, proculdubio incolumen ſe conſervaſſet. Id cum eſſet populo Senatus litteris renuntiatum omnes maximo præ gaudio jubilarunt. Paulo autem poſt Oſtaſius, ejuſque natus, & Zinebra ad Cretenſes perpetuo relegantur, id ſupplicibus litteris Ravennæ civibus poſtulantibus. Ubi & morbo confectus ſua cum prole vita deceſſit. Ita ut in eo generoſa Polenteſia Familia prorſus extincta fuerit. *Oſtaſius*, uti oſtendimus, primus ex ea Familia fuit, qui Urbem Ravennam per tyrannidem occupavit. Ita & fato quodam alter *Oſtaſius* illam amiſit. Quod cœlitus, nutuque divino factum eſſe non ambigo. Nam & vaticiniis quidem multis longe prædictum fuerat. Opizo etiam ejus genitor vivens hunc ſæpiſſime caſum deploravit. Illud quoque extat in Urbe attritum, vulgatumque vaticinium, quod quidem latiſſime ferebatur. Ad Calendas Martias, & apud feſta dedicationis Baſilicæ beatiſſimi Apoſtoli, & Evangeliſtæ Joannis, quæ tanta a Ravennatibus veneratione, & ſumma pietate celebrantur, & per portam Anaſtaſiam Polenteſios Urbem Ravennam amiſſuros. Quod ab illis, ita pro veriſſimo habitum eſt, ut & ipſius etiam Oſtaſii majores ſumma quadam vigilantia, Calendas ipſas, & feſta illa attentius obſervarent, dies, & noctes excubiis, ac vigiliis intenti. Præterea eam portam ſibi adeo ſuſpectam habuere, ut per ipſam nemini, & maxime advenæ intro, aut extra ire conceſſum eſſet. Aliud quoque incredibile

vetustissime scriptum, tum ipse vidi, ac legi, tum alii complures, quod responsum a spiritu quodam fuisse, scriptura testatus antiquissima, ex quo apertius significatur Ravennam anno parum ante cujusdam Ostasii Polentesii obitum ab Polentesiorum ditione penitus evasuram, & in manus *dominantis super mare*, ut iisdem utamur verbis, devenire. Mira quippe res hæc multis ante sæculis, ita luce clarius prædivinata videntur, ut qui rebus gestis interfuere, nec amplius referre, nec planius enarrare potuissent. Ex eo autem tempore, quo Ravenna, Deo maximo auctore, sub Venetorum ditionem sponte devenit, plurimum quidem eorum beneficio, tum opibus, tum novis hominibus aucta est, ædificiisque reformata. Ager etiam universus ad frugem, ita egregie cultus est, ut infructifera quæque loca sentibus, & vepribus olim squallida, & saltus fere omnes dudum ferarum lustris refertissimi in cultam telluris faciem nunc reparatæ sint. Arx insuper munitissima, & inexpugnabilis pro majori Urbis tutela cocto latere, & muro amplissimo miræ altitudinis, immensæque latitudinis a fundamentis cincta erigitur, eaque fieri inchoata est consilio, ac providentia sapientissimi Jacobi Antonii Marcelli, sic eam fieri Senatui Veneto suadentis, pluresque jam ipsius in altum elatæ sunt turres; Quam non injuria homines mirari non desinunt. Felix profecto Urbs, quæ tale nacta est Imperium, quo nullum scio majori æquitate justitia simul, & clementia subditis imperare. Cum enim multis rebus bonum publicum contineatur, nulla certe res est, quæ ad communem utilitatem conferre magis videatur quam æqua in omnes justitia, & tum malos compescendo, tum bonos sublevando, beneficiis in fide subditos detinere. His enim artibus amici

parantur, qui (ut inquit Saluſtius,) non theſauri præſidia Regni ſunt. Et hæc Cicero ſcripta reliquit e ſua, & Panetii ſententia, Neminem neque Ducem bello, nec Principem domi, magnas res, & ſalutares ſine hominum ſtudiis, & benevolentia gerere potuiſſe. Commemorantur & ab eo Themiſtocles, Pericles, Cirus, Ageſilaus, & Alexander Macedo. Quis negat ſine adjumentis hominum eos tantas res efficere potuiſſe? hoc proprium virtutis eſt conciliare ſibi animos hominum beneficiis, & ad ſuos uſus adiungere. Nihilque ad tuendas opes magis eſſe accomodatum, quam diligi. Nam ut præclare Ennius tradit, quem cives metuunt, Principem oderint, & quem odio habuerint periiſſe expetunt. Nulla eſt enim tanta vis Imperii, quæ abſque civium benevolentia poſſit eſſe diuturna. Non temere igitur exiſtimant, qui malum ajunt diuturnitatis cuſtodem eſſe metum.



ADNOTATIONES

(a) Alias alibi procul dubio aluit Pinetas Italia, ut videre est apud Mabillon; P. Bernard. de Rubeis, nostrumque Comit. Franciscum Zinannium, ubi de Adventu Rufini Aquilejensis Presbyteri ad Monasterium Pineti mentionem faciunt. Verum inter has nullam legimus Ravennatis Pinetæ cum amplitudine comparandam.

(b) Justinianum Imperatorem Ravennæ moram traxisse sunt, qui vertant in dubium. His ego tamen Rubeum Clarissimum Historiarum nostrarum, accuratissimumque Scriptorem objiciam, qui Lib. III. Justinianum cum Conjuge Theodora præsentem scribit tum quando D. Vitalis Templum a D. Maximiano Archiepis. an. DXLVII. 4. Kalend. Maii consecratum fuit.

(c) *Quæ militum Cohors Sergium Pontificem vindicavit, non Ravennæ, sed Romæ habebatur; Ravennatium dicta; ejusque Stationis locus, Ravennatium vocabatur.* Hæc contra Spretum nescio quis recens Criticus. Quod tamen ad rem præsentem pertinet, etiam militia Ravennæ degens in Sergii subsidium venit. Testis est Rubeus L. IV. inquiens = *Ad Sergium tuendum, ac vindicandum, omnis qui Ravennæ, & circa Ravennam erant Milites, quam celerrimè Romam contendunt.*

(d) Agnellus, qui de Ravennat. Pontificibus scripsit non Pontifex, nec Episcopus, sed tantum Presbyter a recentioribus Criticis demonstratur.

(e) D. Vitalis Templum Justiniani Imperatoris jussu excitatum solus Auctor est Spretus. Incertum est immò num adhuc Justinianus regnaret tunc cum D. Ecclesius primum hujus Templi lapidem jecit.

(f) D. Michaelis Ædes a *Bacauda* constructas communi traditione probatur; quingentis circiter annis postquam Galla Placidia e vivis excesserat. Quid ergo? Spretus ceteris contradicit? Fortassis aliam piam *Imperatrix* Ædem D. Michaeli dicavit ab ea, quæ nunc extat, quam temporum injuria deleverat; ut de permultis aliis Divorum Templis contigit.

(g) Templum *D. Martini in Cœlo aureo* erat aliud a *Salvatoris*, & *Salvatoris* aliud item a *D. Apollinaris*. Quod Ssmi *Salvatoris* antea dictum fuit, modo D. *Barbaræ* nuncupatur.

(h) Longe aliter Rubeus Hist. L. II. qui tamen denique subdit *Non sum nescius plerosque scribere. Honorium, præter omnium sententiam, ædificationem probasse: & pauca post verba = ab eo tempore Lauritius summo in honore ab omnibus habitus, maximeque Honorio carus fuit.*

(i) Censet Rubeus D. Joannis Baptistæ a Galla Placidia excitatum Templum, ad quod D. Barbatianus morabatur: Ab ipsa autem *Baduario* commissam Ædificii procurationem.

(l) Non hic, sed Petrus *Damiani* fuit purpura ornatus cardinalitia. Nominis paritas errorem apud Scriptores peperit. Uterque enim Petrus, uterque sibi *peccatoris* cognomentum adsciivit. Atque hinc Raphael Volateran., Ciacconius, Joan. Trullus, aliique unum pro alio habuere. In Pergamena Tabularii Canonicorum Lateranen. S. Mariæ in Portu hæc leguntur = *Petrus Damianus peccator. Petrus Damianus Monacus Cassinensis fuit S. Ecclesiæ Cardinalis creatus a Stephano Papa an.* 1059., *vita functus an. circiter* 1072. Petrus alter Ecclesiam *S. Mariæ in Portu* ædificavit, & Clericorum Regularium sub regula S. Augustini Fundator fuit; *Damiani* tempore adhuc puer, & ignotus erat.

Hic, de quo Spretus, e Ravennati Honestiorum Stirpe ortus est an. 1049., qui, cum Sancta Palestinæ loca lustrasset, in Patriam redux, jactata tempestatibus navi, qua per Adriacum vehebatur, naufragii metu perculsus reum se voti fecit nisi Templum Dei Matri dicaret, si incolumis e mari evasisset. Voti compos effectus ubi Ravennam attigit ædificationi continuò operam dedit; & primum, quem posuit lapidem, suo nomine inscripsit an. 1096. Quod hujus Templi ædificationem spectat. Vide Benot. Lateranen. Historicum L. 2. c. 47. Pasolin. L. 6., Rub. L. 5. ad an. 1117., Fab. *Memor.* Sac., & D. P. Joannem de Caubono Canonicor. Portuen. Priorem, qui hæc habet in suis memor. *Quam Ecclesiam ædificare cœpit Pater noster Petrus Idib. Maii an.* 1096. *Ex voto Virgini facto die* 20. *April. ejusdem anni. Petrus autem animam Deo reddidit an.* 1119. Extat Templi ædificium vetus ad oram Maris extra Urbem, quod nunc dicitur *Porto fuori*, in eoque Urna marmorea, qua D. hujusce Petri ossa conduntur, cum hac Epigraphe.

Hic situs est Petrus, PECCANS cognomine dictus,
Cui dedit hanc Aulam meritorum condere Christus.
Anno milleno centeno debita solvit,
In decimoque nono defunctus corpore dormit.
IV. Kal. April.

Scitè *Petrum de Honestis* a *Petro Damiani* secrevit Dantes, qui Parad. Cant. XXI. de Solitudine Montis Catriæ loquens ita cecinit.

In quel luogo fui io Pietro Damiano,
E Pietro peccator fu nella Casa
Di nostra Donna in sul lido Adriano.

In hanc rem denique audiatur Rubeus, qui Hift. L. V. *Satis*, *inquit conftare poteft quantum inter hunc Petrum Portuenfem, & Petrum Damiani interfit. Eft quidem uterque Petrus, uterque Ravennas, fanctè ambo, atque innocenter vixerunt, eodemque ferè tempore; quodque fecit ut eos multi non internofcerent, ambo PECCATORES apellati; Inoleverat enim mos ut qui religiosè tunc viverent ob animi demiffionem fe fe infcriberent PECCATORES; idque facilè cognofcet, qui monumenta illorum temporum evolverit. Petrus tamen, Portuenfis Præfectus, femper Sacerdos & Clericus, ut aiunt; Petrus autem Damiani Monacus. Ille in Portuenfi Cœnobio perpetuò ferè vitam traduxit; hic in Catriana Solitudine; ille Ravennæ diem obiit fuum; hic Faventiæ; ille IV. Kalend. April.; hic VIII. Kalend. Martii; ille anno millefimo centefimo decimo nono; hic octuagefimo* (rectius dixerit feptuagefimo fecundo) *fupra millefimum*.

Cetera ad hanc Controverfiam, & *ad Petrum de Honeftis* fpectantia fufius P. Ab. Petrus Paulus Ginannius pertractat Tomo 2. Operis, cui titulum preficit *Memorie degli Scrittori Ravennati*.

(*m*) Non defunt monumenta haud obfcurè probantia *Honeftiam* Cæfenæ Gentem, de qua nunc Regnantis Summi Pontificis PII VI. ex Sorore Nepotes prodeunt, originem habere a Ducibus de *Honeftis* Ravennæ, quæ viros pietate, ac doctrina infignes quamplures edidit.

Martino de *Honeftis* Joannes X. an 920. Civitatis Ravennæ, totiusque Romandiolæ dominium tribuit, illumque Ducis nomine decoravit. In ejus autem Pofteris permanfit nomen, & regnum, donec Berengarius Italiæ potitus eft; quo expulfo poftea ab Othone, Romandiola in Sedis Apoftolicæ poteftatem rediit; & unaquæque Civitas fuum habuit Rectorem cum titulo Comitis.

(*n*) Inter Civitates Ravennæ fuffraganeas Spretus numerat Ariminum, qua de re tamen funt qui dubitant plurimum. Licet enim antiquia non defuerint monumenta, quæ hoc indicare viderentur; nihilominus tamen obftant recentiora veteribus. Certum eft Ariminum ætate Spreti inter Suffraganeas non fuiffe; quippe hæc fæculo tantum decimo feptimo inter has renunciata fuerit. D. Raynaldi Archiepifcopi Epiftola Ariminum, & Montem Feltrium *efentes* vocat; neque in Valentiniani Diplomate, neque in ulla Provinciali Synodo inter Veteres *Ariminum Suffraganeam* legimus. Ceterum in vetuftiffimo Ravennat. Ecclefiæ Tabulario fuperfunt Litteræ Caroli Magni circa an. 788., in quibus multis honoribus, ac donis afficit Ravennatem Ecclefiam, & poftea fubdit illi *Subiici volumus Ariminenfem, Pefaurienfem, Faneftrenfem* &c.

(*o*) Integra hæc narratio e Libro pontificali Agnelli deprompta eft. Confirmatam autem voluit Cl. Vir Dominicus Vandellus in fuis *Medi-*

tationibus super Vitam *S. Geminiani* marmoreo monumento, quod extat Mutinæ ad januam Cathedralis illius Ecclesiæ. Ibi enim anaglypho opere exhibetur S. Severus Geminiano justa persolvens. Quod autem brevissima extasi, & Geminiano animam agenti adstiterit, nec inde avolaverit donec corpus demortui fuerit terræ mandatum res nostram superat fidem. Ceterum, ut ut hæc se habeant, Spretus, quæ ex Agnello recepit, scripto commisit; nulla censura feriendus, cum optimo ex fonte sui temporis narrationem depromsit.

(*p*) Rubeus hunc *Petrum*, qui dicebatur *Antistes* ex albo Archiepiscoporum expungit, Unum, eumdemque faciens cum Petro hujus nominis III., qui, vergente Sæculo V., vivebat. Verum Amadesius Tomo I. Prolegom. Rubeum erroris redarguit ubi de *Urso* Successore loquitur.

(*q*) Non *Petro Antistiti*, sed *Petro Chrysologo* successit *Neon*; quod evidens est ex Epistola Leonis Magni ad ipsum Neonem. Excusandus est tamen Spretus, hac in re ab Agnello, quem sequebatur, deceptus. Petro Antistiti successit Exuperantius, Exuperantio Joannes *Angeloptes*.


(*r*) Petrus succedens Joanni, qui Athilæ iram compescuit, non Petrus Chrysologus, sed alius est hujus nominis tertius ab Agnello prætermissus, qui etiam Conciliis a Symmaco Papa celebratis interfuit. Ante hunc Petrum sedit etiam tertius Joannes vel ab Agnello omissus, vel certè confusus cum Joanne, qui *vidit Angelum*, aut cum eo tandem, qui Athilæ furorem repressit. Hoc probant & Sepulcralis lapis in Ravennati Musæo Archiepiscopali, & Simplicii Papæ Epistolæ in Decretalibus. Vixit Petrus hic III. ad annum usque 519., ut est apud Anonymum Valesianum. Alius ergo hic Petrus a Chrysologo. Non Spreto tamen tribuendus est error, sed Agnello, quo nihil antiquius, nihil sacratius præ oculis ætate sua habere potuit Spretus.

(*s*) Intellige: *ferè nunquam*. Neque enim accuratissimus Scriptor oblivisci potuit Chrysologum Forocorneliensem, Ursum Siculum, primosque D. Apolinaris Discipulos, qui certè non *Ravennates*.


(*t*) Contra Spreti opinionem negat Bacchinius Ravennatibus postulantibus Episcopi eligendi facultatem a Justiniano factam fuisse: infert subinde Imperatorum consensum fuisse ab ipsis petendum, expectandumque toties quoties novus erat inaugurandus Antistes: quapropter Agnellum acriter vellicat asserentem, Imperatorem a Ravennatibus exoratum, pallium dedisse. Cl. tamen Amadesius in D. Maximiani, & Petri IV. Cronologia Bacchinium quoad utramque sententiam egregiè confutat.

(*u*) Consonum veritati videtur Agnellum Archiep. D. Agathæ Templum ædificasse: De eo Rubeus scribit = *Uxore mortua, totum se Deo*

servitio addixerat, Diaconusque ab Ecclesio Archiepiscopo factus, præfectus est templo D. Agathæ, quod falsò, mea sententia, putat Spretus ab hoc Agnello conditum; Nam supra in Joanne primo Archiepiscopo, qui vidit Angelum de illo (templo) meminimus. Ad templi parietes domus Agnelli adhærebat. Hist. L. III. pag. 169. Agnellus item Capite 7. in Vita *Joan. Angeloptes* clarissimè affirmat ipsum B. Joan. dum in D. Agathæ templo sacra perageret ibi Angelum vidisse; testatur insuper in eadem Ecclesia tumulatum fuisse. Hujus Ecclesiæ Parochus, sub Archiepiscopo Crispio, qui Ferrariensis postea factus Antistes Ferrariam sacrum B. Joannis corpus traduxit ubi nunc asservatur, idem sacrum corpus in eadem Ecclesia reperit. Non potuit ergo D. Agnellus Agathæ templi esse Auctor, qui centum, & amplius post annos laudato D. Joanni in Episcopatu successit. Hujus templi Rubeus, & Fabrius Auctorem dicunt *Gemellum* quemdam Ravennatis Ecclesiæ Subdiaconum, qui ejusdem Ravennatis Ecclesiæ patrimonium, quod erat in Sicilia amplissimum priscis temporibus, administrabat. De hoc tamen nihil Agnellus; immò autem refert *Gemellum* hunc Sanctæ Agnetis templum ædificasse. Cum Rubeus nullum de hac adsertione sua testem ex Antiquis adducat, unde hæc eruerit nescio. Fortè in Autographo Agnelli, qui Rubei temporibus Ravennæ prostans paulò post alio traductus fuit, legebatur *D. Agathæ* non *D. Agnetis*. Constat profecto Estensem Agnelli codicem innumeris Amanuensium incuria mendis scatère.



INDEX RERUM NOTABILIUM.



A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

T

V

Z



Cammillo de' Marchesi Spreti Ravennate
Cavaliere del S. Ordine
Gerosolimitano

DELL' ORIGINE, E DELLA MAGNIFICENZA, DELLA DECADENZA, E DEL RISORGIMENTO *DELLA CITTA' DI RAVENNA* LIBRI III.

DA DESIDERIO SPRETI
PATRIZIO RAVENNATE

SCRITTI IN LATINO,

E DAL MARCHESE

CAMILLO SPRETI
CAVALIERE DEL SAGRO ORDINE GEROSOLIMITANO,

TRADOTTI IN VOLGARE IDIOMA, ED ILLUSTRATI DI NOTE.



A CHI LEGGE.



L'idea di ridonare al Pubblico questo breve Compendio della Storia di Ravenna composta da *Desiderio Spreti* Seniore mio Antenato, e Scrittore di non oscura memoria nel Secolo decimo quinto, non è diretta, che a far sussistere un monumento della famosa di Lei grandezza, e delle gravi vicende, cui fu soggetta. Dall' Anno 1450., in cui fu scritto, sino a dì nostri ne comparvero tre Edizioni alla luce. La prima nel 1489. in Venezia per Matteo Capcasa Parmense, la seconda nel 1588. parimenti in Venezia per il Guerrea, ambedue rarissime. L' ultima impressa dal Burmanno nella sua Storica Collezione, ma che per essere unita ad altre, e per la mole del Libro si rende molto men comoda ai Leggitori. Una nuova edizione era dunque necessaria, ed utilissima. Ma siccome non a tutti è famigliare la lingua, di cui si valse lo *Spreti*, nella novella edizione mi è parso bene di aggiungere una versione italiana fatta da me con la maggior diligenza, e conferendo le tre sopra citate Edizioni con due Mss., uno imperfetto, e l'altro

intiero, che in pergamena ritrovasi nella privata mia Biblioteca. Le varianti Lezioni di questi due Manoscritti non ho poste appiè delle pagine nell'Originale latino, sembrandomi esse di non molta importanza. Bensì non ho potuto astenermi (tanto mi è a cuore l'amor del vero) di apporre all'Opera alcune critiche Annotazioni per illustrarne qualche tratto importante, o per togliere qualche errore preso dallo Storico, per aver egli con buona fede seguite l'orme degli Scrittori de' Secoli precedenti; come altre molte ne ho apposte alla Versione italiana a schiarimento di qualche passo, o per dar pascolo agl' Intendenti.

Sembrerà forse ad alcuno cosa strana, e non molto ragionevole, che io abbia tradotta l'Opera del mio Storico per renderla più comune, e famigliare a quelli, che non intendono la lingua latina, e vi abbia poi aggiunto una serie d' Iscrizioni, che esiggono non solo la cognizione di questa lingua, ma la cognizione di altre lingue più rare, e una non mediocre erudizione; ma se avvertiranno quello, che io ho detto sopra di ciò nella mia Lettera latina al Lettore, non mi riprenderanno più, e vi ritroveranno la mia giustificazione. Io avea tradotta la Storia dello *Spreti*, come un'introduzione alla Storia del mio Pae-

se, che io prendeva dal tempo, in cui la lasciò il mio Storico, e la conduceva fino ai miei giorni unendovi la Cronologica Serie degli Arcivescovi, Presidenti, e Cardinali Legati, che l'han governata, a foggia di Annali.

L'abbondanza delle Iscrizioni, e delle Illustrazioni, che gli Autori ne han dato, han fatto, che dando luogo a queste, ad altro tempo riserbi l' opera mia. Le persone discrete mi sapranno buon grado di ciò, che ho fatto, non si offenderanno di questo misto di volgare, e latino, e non si meraviglieranno, che non mi sia servito unicamente della lingua dei dotti; il che però nulla toglie al merito intrinseco dell' Opera.



VITA DI DESIDERIO SPRETI L' ISTORICO

Desiderio Spreti nacque in Ravenna l' anno, in cui si principiò il Concilio Costanziense per condannare l' Eresie di Viclefo, di Gio: Hus, e di Girolamo da Praga, cioè nell' Anno 1414. Gli fu Padre un altro denominato parimenti Desiderio. Apprese le Umane lettere, indi si applicò alla Giurisprudenza; ma essendo inclinato alla Storia, in essa si distinse, e dopo *l' Agnello* compose quella della Patria. Si diede alla lingua Greca, e fu egli il primo, che l' Iscrizione d' Isaccio Esarca traducesse dal Greco, riportata con altre nel fine della sua Storia.

Fu impiegato in varie Ambascerie per pubblici affari. Nel 1452. fu Ambasciatore della Città a Nicolò V. Sommo Pontefice. Nel 1461. a Cristoforo Moro Doge di Venezia, allorchè toltasi dalla tirannia de' Polentani era passata Ravenna sotto il Veneto Dominio; così pure altra volta al Doge Pasquale Malipiero.

In età di anni 35., cioè circa il 1450. scrisse la sua Storia. Due sue lettere, una dedicatoria a Giacopo Antonio Marcello, l' altra al Dott. Vitale Lando contenente la notizia di alcuni antichi trattati di Alleanza, e di Amicizia tra i Veneziani, e i Ravennati, e in cui parla della sua Storia come di cosa pubblica, e le quali riporterò tradotte quì sotto dopo le presenti memorie, fanno conoscere l' idea già formata di metterla alle stampe, mentr' ei viveva. Varie combinazioni però gliene dovettero impedire l' esecuzione: perchè soltanto nel 1489. Giambattista suo Figlio prese la

cura di darla in luce. In età avanzata compose ancora un Libro intitolato = *De Adventu Messiæ contra Judæos* = Girolamo Rossi lo accenna nella sua Istoria Raven. pag. 761. *Desiderius Spreti scripsit autem jam Senex de Adventu Messiæ contra Judæos Libellum ornato, ac presso Orationis genere.* I Saccheggi, e le inondazioni, alle quali è stata soggetta Ravenna, avranno fatto perire quest' Opera, com' è accaduto a tant' altre di celebri Autori; perchè ad onta di ogni diligenza, non m' è riescito di rinvenirla.

Ebbe due Mogli. La prima Andrea Cristiani figlia di Masio, Famiglia nobilissima di Ravenna ora estinta, l' altra Andrea Proli. Fu Padre di otto Figli del primo letto, Urbano, Bonifazio, Giambattista, Girolamo, Elisabetta, Barbara, Valeria, e Teodosia. Urbano fu Giureconsulto, Canonico della Metropolitana di Ravenna, e Vicario Generale dell' Arcivescovo Cardinale Bartolomeo Roverella; indi nel 1477. Uditore della Sacra Romana Ruota. Bonifazio cessò di vivere in Padova, mentre studiava la Legge con grande aspettativa. Giambattista applicossi allo studio legale, come attesta Gian-Pietro Ferretti Scrittore gravissimo, che lasciò scritto di Desiderio = *genuit Johannem Baptistam Jurispolitici, Ecclesiasticique rarissimum Interpretem* = e Vincenzo Carrari = *Johannes Baptista etiam ipse Juris Consultus sæpe Patriæ ornamento fuit* = Compose un Opera intitolata = *Consilia Legalia*. Nel 1487. fu inviato Ambasciadore alla Repubblica Veneta dalla Città, avendo anche servito il Pubblico in varie Magistrature, dalla suddetta Repubblica fu creato Vicario del Castello di Russi. Fu desso, che pubblicò la prima volta l' Istoria di *Desiderio*. Girolamo battè l' istessa carriera del Padre coll' acquisto della lingua latina, e greca. Procurò di unire antichi monumenti, che

illuſtrar poteſſero la Patria, formandone un' Opera intitolata = *Collectio Veterum Monumentorum*. Compoſe alcuni libri ſull' Architettura = *Architectonicæ Inſtitutiones; pluribus libris diſtinctæ*. Il ſuddetto Ferretti così ne ſcrive = *Gloriari merito noſtra hæc ætas poſſet, ſi talem Virum nobis immaturius Cœli non invidiſſent; Virum inquam ad omnia ſumma natum, ſummum vita, ſummum doctrina, ſummum eloquio, græcæ facundiæ clariſſimum columen* = e poco dopo = *ad eum undique confluebant Litterarum Sectatores, ut quos majeſtas Urbis ad ſe non traxerat, hujus hominis fama perduceret*. Alli 21. di Giugno 1510. paſsò all' altra vita, come ne aſſicura il Roſſi = *Quo eodem Anno Hieronymus Sprêtus græcè, latineque, ut aliquot ejus monumenta declarant, doctiſſimus XI. Kal. Julii obiit, & ad D. Franciſci ſepultus*. Lidio Catti così cantò di Girolamo.

Balthaſar, a Portu, Spretuſque Hieronymus ille,
Qui bene cum Græcis mixta latina tenet.

Le indicate Opere hanno corſo l' iſteſſa ſorte di tant' altre, eſſendoſi perdute. Su de' ſuoi Figli volle Deſiderio comporre il preſente Epigramma.

Deſcripſi poſtquam celebris monumenta Ravennæ
Et vidi Urbanum patribus eſſe Patrem.
Baptiſtamque meum juris callere medullas
Hieronymum lingua currere utraque via,
Ad ſe quam primum Cœli Regnator & Orbis
Hinc voluit celeri me properare pede.

La ſua morte accadde nel 1474. in età d' anni 60., e fu tumulato nella Chieſa di S. Pietro Maggiore, ora detta di S. Franceſco, come atteſta ancora Gian-Pietro Ferretti *Ejus Funus ad Baſilicam Barionne Majoris Apoſtoli frequens Civitas extulit*.

Il Baronio, ed il Galeſino attribuiſcono a Deſiderio ſuddetto la Vita di S. Giovanni Arciveſcovo di Raven-

na, come un' Opera disgiunta; ma in questo prendono errore, poichè lo *Spreti* nel proseguimento del primo Libro della sua Storia scrisse le Vite di altri Santi Arcivescovi, fra le quali la summentovata di Giovanni.

Equivocò ancora Giovanni Cinelli nella sua Biblioteca Vol. Scanz. XVII. pag. 17. al nostro Storico attribuendo una Orazione da lui riferita nella medesima Bibliot. Scanz. VII. pag. 27., posciachè ad altro Desiderio Spreti del presente Secolo appartiene, che fu Avvocato Concistoriale, e de' Poveri in Roma, e Rettore della Sapienza Romana.

Lodovico Moreri nel suo gran Dizionario prende sbaglio ancor egli, dove asserisce appartenere lo Spreti Istorico al Secolo XVI., quando è certissimo, ch' egli visse, e morì nel XV., e di più lo fa contemporaneo all' Alberti, che fu quasi un Secolo a Lui posteriore.

Il Marchese Scipione Maffei nella sua Storia Diplomatica trattando de' Versi Ritmici dice, che l' Iscrizione Greca d' Isaccio fu tradotta in latino nel 1525. dal Taccuino, indi da *Desiderio Spreti*, quando è evidente, che la versione latina fatta dallo Spreti era stata stampata nell' anno 1483. in Venezia per Matteo Capcasa Parmense.

Vincenzo Carrari Canonico, e Giureconsulto Ravennate scrisse in latino la Vita di *Desiderio*, la quale si vede nella sua Istoria di Ravenna in Venezia per il Guerrea l' anno 1588., e che io ho creduto conveniente far precedre alla mia Edizione.

Il Padre Abate D. Pietro Ginanni nella sua Opera degli Scrittori Ravennati al tom. 2. pag. 378. epilogò alcune Memorie anch' Esso spettanti al medesimo *Desiderio*.

Dall' uno, e dall' altro ho io rilevato in gran parte quanto ho quì detto di questo illustre Soggetto, dal di cui nome riceve tanto di lustro la Patria, e la mia Famiglia.

AL MAGNIFICO, E CHIARISSIMO

CAVALIERE

VITALE LANDO

ECCELLENTISSIMO PATRIZIO VENETO

DOTTORE DELLE ARTI,

E DELL' UNA, E DELL' ALTRA LEGGE.

DESIDERIO SPRETI RAVENNATE

MOLTISSIMO SI RACCOMANDA.

CONIVG. OPTIMAE REFANIVS MACRINVS.
LIVIA ME TELLVS ALVIT. GEMINAMQ SORОREM.
EGREGIO DE PATRE SATAS SANCTA GENETRICE.
KARA FVI CASTO BENE IVNCTA PVDICA MARITO.
INVIDA SET FATI LEX REDDIDIT INRITA VOTA.
ET TANTVM MISERAE SOLACIA LIQVIT AMANTI.
CONIVGIS IN MANIBVS LICVIT QVOD REDDERE VITAM.

2.

Marquardus Gudius Inscript. Antiq. p. CLIX. 7.
In Via Flaminia. Ex Ligorio.

D. M. S
SP. CAVIVS. Q. F. GALER. LATI
NVS. PRAEF. CLASS. RAVENN
COHOR. PRIMAE. SPECVLAT
VIVS. SIBI. ET. SVIS. OMNIBVS
PAR. HEREDIBVS. FECIT. ET
POSTERISQ. EOR. ET. SVTIAE
SABINAE. VXORI. SVAE. BENE
DE. SE. MERITAE. POSVIT

3.

p. CXXXV. 4.
Extra Formias. Ex Ligorio.

M. PERCERNIO. M. F. VEL
CAPITOLINO
VI. VIRO. AVGVSTALI. PA
TRONO. COLON. II. VIRO
QVINQVEN
PRAEF. VEHICVL. CLASS. RAV
PRAEF. FABRVM. CENTON
FLAMINI. DIVORVM
OMNIVM. OB. MER
ITA. EIVS. L. D. D. D

1.

Fantag. Ms. Apud Ædem S. Vitalis:

FELI STILICONEII
ET ANTHEMIO. VV. CC.
CONS.

2.

Murat. Appen. p. MMLX. 1.

ANCIL. EVCHENTI
BASS. V. C. CONS.

3.

Marq. Gud. p. XXIV. 3.
Ravennæ. Ex Ligorio.

APOLLINI. INVICTO
MITHRAE
ANNIA. CANINDIA. IOCVNDA. CVM
OLYPIODORVS. LVCCEIVS. FIL
D. D

4.

p. CLVII. 5.
Ravennæ. Ex Ligorio.

DIS. MANIBVS. SACR
M. CAESIANVS. M. F. GAL
PROBIANVS. MIL. COH. IIII
PRAET. SIBI. ET. SVIS. FEC

ABBREVIATIONES

VETUSTORUM MONUMENTORUM

IN

ORDINEM ALPHABETICUM DIGESTÆ

CUM

INTERPRETATIONE

ABBREVIATIONES

Vetustorum Monumentorum in ordinem alphabeticum digestæ cum Interpretatione.

A A

A.	*Annus. Anno. Annos. Cl. I. 82. 90. 96. &c. Aulus. Cl. I. 77. 79. Aut. Agro. Cl. III. 165. Avus. Aedilis.*
AA.	*Augusta. Augustalis. Aquis Aponis, vel Apollini Augusto. Apud Agrum.*
AAA.	*Auro. Argento. Aere.*
A. A. A. F. F.	*Auro. Argento Aere Flando Feriundo.*
A. A. L. M.	*Apud Agrum Locum Monumenti.*
A. A. S. E. V.	*Alter Ambove Si Eis Videtur, vel Videbitur: nimirum Consulum.*
AB.	*Alia Bona.*
AB. AVG. M. P.	*Ab Augusta Millia Passuum.*
ABD.	*Abdicavit.*
A. B. M.	*Animæ Bene Merenti.*
ABN.	*Abnepos.*
ABNEP.	*Abnepos.*
ABS.	*Absolutus.*
A. B. V.	*A Bono Viro.*
AB. V. C.	*Ab Urbe Condita.*

AC.	*Actio.*
ACON.	*Actionem.*
A. CVB. AVGG.	*A Cubiculo Augustorum.*
A. D. A.	*Ad Dandos (vel Dividendos) Agros.*
AD. AVGVS. TEMP. C. D.	*Ad Augustale Temperamentum Comprobatus Dodrans.*
AD. AVGVST. TEMP. C. P.	*Ad Augustale Temperamentum Comprobatum Pondus.*
AD. E.	*Ad Exactorem. Adesse.*
AD. F.	*Ad Finem.*
ADI.	*Adiutor.*
ADIAB.	*Adiabenicus.*
ADI. P.	*Adiutor Provinciæ vel Patriæ, vel Populi.*
AD. KALEND.	*Adiutor Kalendarii.*
AD. L.	*Ad Locum.*
ADN.	*Adnepos.*
A. D. P.	*Ante Diem Pridie.*
ADP. vel ADOP.	*Adoptivus.*
ADQ.	*Adquiescit.*
ADTR. IVD.	*Adtributus Judicio.*
AE.	*Aedilis.*
AED.	*Aedes. Aedili. Cl. II. 24.*
AEDIL. CVR.	*Aedilis Curulis.*
AED. DESIG.	*Aedilis Designatus.*
AEDIL. PL.	*Aedilis Plebis.*
AED. POT. vel POTEST.	*Aedilitia Potestate. Cl. II. 4.*
AEL.	*Aelius.*
AEM.	*Aemilia.*
AEQ. P.	*Aequalis Persona.*

AER .	*Aerum Aerarium .*
AER . COLL .	*Aere Collato .*
AER . P .	*Aere Publico .*
A . F .	*Auli Filius . Cl. I.* 77. *Ara Facta .*
A . F . A . N .	*Auli Filius . Auli Nepos .*
AG .	*Agit , vel Agro . Cl. III.* 121. 124.
AID .	*Aedilis .*
AIM .	*Aimilia .*
A . L .	*Alumnus .*
A . L .	*Auli Libertus , vel Animo Libens , vel Alia Lex .*
ALAE . $\overline{I}$. PR . C . R .	*Alæ Primæ Prætoriæ Civium Romanorum .*
A . L . E .	*Arbitrium Litis Estimandæ .*
A . L . F .	*Animo Libens Fecit .*
ALL .	*Allectus .*
A . L . V . S .	*Animo Libens Votum Solvit .*
AM .	*Amicus .*
A . M . M .	*A Minerva Medica .*
AM . N .	*Amicus Noster .*
AM . P .	*Amabilis Persona , vel Amator Patriæ .*
A . M . P .	*Alæ Macedonicæ Primæ .*
A . M . SACRIS .	*A Municipalibus Sacris .*
A . M . $\overline{XX}$.	*Ad Miliare Vicesimum .*
AN . vel $\overline{AN}$	*Annorum . Annos Cl. I.* 56. 69. 88. 92. 93. *&c.*
AN . vel ANI .	*Aniensi Tribu .*

A . N .	*Ante Noctem .*
ANT .	*Ante , vel Antea , vel Antonius .*
ANT . T . C .	*Ante Terminum Constitutum .*
AN . V . P . M . $\overline{\text{II}}$.	*Annos Vixit Plus Minus* $\overline{\text{II}}$.
A . O .	*Alii Omnes .*
A . O . F . C .	*Amico Optimo Faciundum Curavit .*
AP .	*Apud , vel Appius .*
A . P .	*Aedilitia Potestate , vel A Prætorio .*
A . P . F .	*Argento Publico Feriendo , vel Aram Ponere Fecit .*
AP . IVD .	*Apud Judæam .*
A . P . M .	*Annorum Plus Minus .*
APP .	*Appius , vel Appellat .*
APP . E .	*Appellatus Est .*
A . P . Q .	*Auli Publii Quinti .*
A . P . R . C .	*Anno Post Romam Conditam .*
A . P . V . C .	*Anno Post Urbem Conditam .*
A . Q .	*A Qura , idest A Cura .*
AQ . PRAET . VRBIS .	*Aquilifer Prætorii Urbis .*
AQV . AD . M .	*Aquarum Ad Miniciam .*
A . R .	*A Rationibus .*
ARG . P . X .	*Argento Pondo Decem .*
ARK . RET . P .	*Arkæ Retro Positæ .*
ARM . CVST .	*Armorum Custos Cl. I. 20.*
ARM . P .	*Arma Publica .*
ARN .	*Arniensi Tribu Cl. III. 162.*
AR . V . V . D . D .	*Aram Votam Volens Dedicavit .*

A . S . S .	*A Sacris Scriniis , vel Aram Suo Sumptu .*
A . T .	*A Tergo .*
ATQ .	*Atque .*
A . T . V .	*Amici Titulo Usi .*
AV . AVG .	*Augusto Cl. I. 224. passim , vel Augur , Augustalis Cl. I. 64. Cl. III. 120.*
AVG . F .	*Augusti Filio Cl. II. 17.*
AVGG .	*Augustorum Cl. I. 65. Cl. III. 89. , vel Augusti duo .*
AVGGG .	*Augusti tres .*
AVG . L . vel Lib.	*Augusti Libert. Cl. I. 5. 127. 165. 175.*
AVG . M . R .	*Augustalis , vel Auguris Municipii Ravennatis Cl. I. 63.*
AVG . N . V .	*Augusti Nostri Verna .*
AVG . P .	*Augusti Puer .*
AVG . ET . Q . AVG .	*Augustalis Et Quæstor Augustalium .*
AVGVST . ET . POP .	*Augustales Et Populus .*
AVR .	*Aurelio Cl. I. 201. Aureliæ Cl. I. 211. &c.*
AVSP . S .	*Auspicante Sacrum .*

B B

B .	*Bonus , vel Brutus , vel Beneficiarius Cl. I. 220. Balbius , vel Balbus .*

B. pro V.	*Berna idest Verna. Bivus, Vivus. Bixit, Vixit. Cl. I. 192.*
BB.	*Bonis Bonis, idest Optimis. Bonorum. Bene Bene, idest Optime.*
B. A.	*Bonam Actionem.*
B. AV.	*Bonis Auspiciis, vel Bonis Avibus.*
B. C.	*Bonum Concessum.*
B. COS.	*Beneficiarius Consulis.*
B. D.	*Bonum Datum, vel Bonæ Deæ.*
B. D. D.	*Bonis Deabus.*
B. D. S. M.	*Bene De Se Merenti, vel Meriti.*
B. D. S. M. F.	*Bene De Se Merenti, vel Meriti Fecit.*
BEN.	*Beneficiario.*
BES.	*Besso Cl. I. 77.*
BF.	*Beneficium. Beneficiarius.*
B. F.	*Bene Fecit. Bona Fœmina. Bona Fide, vel Fortuna, vel Bona Filia. Bonum Factum. Benefioiarius.*
B. F. A.	*Bovibus Furvis Aratro Junctis, vel Bona Fœmina Alba.*
B. F. C.	*Bona Fide Contractum.*
BF. COS.	*Beneficiarius Consulis.*
B. F. P.	*Bonæ Fidei Possessor.*
BF. TRIB.	*Beneficiarius Tribuni.*
B. G. POS.	*Biga Gratis Posita.*

B. GR.	*Bona Gratia*.
B. H.	*Bonus Homo*. *Bona Hereditaria*.
B. I.	*Bonum Judicium*.
B. I. I.	*Boni Judicis Judicium*.
B. L.	*Bona Lex*.
B. M.	*Bonæ, vel Beatæ Memoriæ*. *Bene Merenti Cl. I.* 72. 112. 176. *&c.* *Bovem Marem*.
B. M. F.	*Bene Merito, vel Bene Merenti Fecit Cl. I.* 80. 134. 162. 264. *&c.*
B. M. F. C.	*Bene Merenti Faciendum Curavit Cl. I.* 83.
B. M. H.	*Bene Merito Heredes*.
B. M. P.	*Bene Merenti Posuit, Posuere Cl. I.* 8. 37. 88. 92. 97. 130. 219. *&c.*
B. M. P. C.	*Bene Merenti Ponendum Curavit Cl. I.* 14. 18. 27. 78. 79. 84. 93. 96. 218. 220. 221. *& passim*.
B. N.	*Bona Nostra*.
B. N. M.	*Bene Meritæ*.
B. N. M. F.	*Bene Merenti Fecit*.
B. O.	*Bene Optime*.
BON.	*Bononiensis Cl. III.* 83.
B. P.	*Bona Possessio, vel Bonorum Possessio*. *Bonum Publicum*. *vel Bona Paterna*.
B. P. D.	*Bono Publico Dedit*.

B . PR .	*Beneficiarius Prætoris , sive Præfecti .*
B . PR . PR .	*Beneficiarius Præfecti Prætorio .*
B . Q.	*Bona Quæsita .*
BR .	*Bonorum .*
B . R .	*Bonorum Rector .*
BRIT .	*Brittanicus .*
BRIX .	*Brixia , vel Brixiani .*
B . R . P .	*Bono Reipublicæ .*
B . R . P . N .	*Bono Reipulicæ Nato .*
B . S .	*Bene Satisfecit .*
B . T .	*Bonorum Tutor .*
B . TRIB .	*Beneficiarius Tribuni .*
B . V .	*Bene Vixit .*
B . V . V .	*Balnea Vina Venus .*

C

C .	*Cajus* Cl. I. 84. 87. 90. 92. *& alibi passim . Centurio . Civis . Civitas . Cocceius . Cohors . Colonia . Coniux . Cornicularius .*
C̄ .	*Consulibus .*
Ɔ .	*Caja , vel Conjux .*
7 . 7 .	*Centuria* Cl. I. 86. *Centurioni* Cl. I. 91. Cl. II. 5. 27.
CA .	*Caussa , vel Camillus .*
C . A . A . M .	*Coloniæ Aeliæ Augustæ Mercurialis*

CAES.	*Cæsius, vel Cæsar* Cl. *III.* 80. 128.
CAESS.	*Cæsares duo.*
CAESSS.	*Cæsares tres.*
CAES. AVG.	*Cæsar Augustus* Cl. *III.* 80.
CAM.	*Camillus. Camillia, seu Camillina. Tribu* Cl. *I.* 91. Cl. *II.* 4. 14. 20. *& passim. Causa Mortis.*
CAP.	*Capitalis.*
CAR.	*Carissimus* Cl. *I.* 82. *Carissimo* Cl. *III.* 137.
C. B.	*Commune Bonum. Civis Bonus. Conjux Bona, vel Benemerita. Colonia Bononia.*
C. B. M.	*Conjugi Bene Merenti.*
CC.	*Circum.*
C. C.	*Caussa Commissa. Consilium Cepit. Caussa Cognita. Cum Cultu. Curator Civium. Curiæ Consulto. Gajorum Duorum.*
C. C. A.	*Colonia Cæsar-Augusta.*
C. C. C.	*Censa Civium Capita. Calumniæ Cavendæ Caussa.*
C. C. C. AVG. LVGD.	*Colonia Copia Claudia Aug. Lugd.*
CC. COL. LVG.	*Claudia Copia Colonia Lug.*
CC. D.	*Curatum Consulto Decurion.*
CC. MM	*Collegium Centonariorum Municipii Mevaniolæ.*

C. C. M. R.	*Collegii Centonariorum Municipii Ravennat.* Cl. III. 86.
C. C. M. S.	*Collegium Centonariorum Municipii Sassinatium.*
C. CR.	*Contrarium Contractum.*
C. C. S.	*Curatum Communi Sumptu, vel Curarunt Cives Sassinates.*
CCSS.	*Consulibus* Cl. I. 179.
C. C. VV.	*Calator Curiatus Virginum Vestalium.*
C. E. C.	*Coloni Ejus Coloniæ.*
CEN.	*Centurio.*
CEN. A.	*Censoris Arbitratu.*
CEN. PER.	*Censor Perpetuus.*
CENS.	*Censores.*
CENT.	*Centuria.* Centurioni Cl. II. 19.
CENTV.	*Centuriones.*
CES.	*Censor. vel Censores.*
C. F.	*Cai Filius* Cl. I. 141. 161. &c. *Castissima, vel Clarissima Fœmina.*
C. F. C. N.	*Cai Filius. Cai Nepos.*
C. G.	*Conjugi Gratissimæ* Cl. I. 142.
C. H.	*Custos Heredum.*
CI.	*Circiter.*
C. I. C.	*Cajus Julius Cæsar.*
C. I. O. N. B. M. F.	*Civium Illius Omnium Nomine Bene Merenti Fecit.*
C. I. P. A.	*Colonia Julia Paterna Arelate.*
C. I. P. C. N. M.	*Colonia Julia Paterna Claudia. Narbonensis Martia.*

C . I . P . S .	*Colonia Julia Paterna Suburitana .*
C . K . L . C . S . L . F . C .	*Conjugi Karissimæ Loco Concesso Sibi Libenter Fieri Curavit .*
CL .	*Claudius . Claudiæ Cl. I. 86. Claudia . Colonia . Classis Cl. I. 177. Cl. II. 18. 24. &c.*
C . vel Ɔ . L . vel ⅃ .	*Cai Liberta Cl. I. 115. Caii Libertus Cl. I. 125.*
CLA .	*Claudia Tribu Cl. II. 26.*
CLASS . PR . MIS .	*Classis Prætoriæ Misenensis .*
CLASS. PR. RAV. vel Raven...	*Classis Prætoriæ Ravennatis Cl. I. 87. Cl. II. 19.*
CLAVD .	*Claudia Tribu Cl. II. 37.*
CL . CEL .	*Claudia Celeja .*
Ɔ . ⅃ . K .	*Caja Liberta Carissima .*
CL . PR .	*Classis Prætoriæ Cl. I. 104.*
Cl. PR . MIS .	*Classis Prætoriæ Misenatis Cl. I. 177.*
CL . PR . RAV . vel RA .	*Classis Prætoriæ Ravennatis Cl. I. 226. Cl. II. 18.*
CLV .	*Clustumina Tribu .*
CL . VIR .	*Clarissimus Vir .*
CM .	*Comis .*
C . M .	*Caussa Mortis . Cajus Marinus . Cessit Melioribus .*
C . M . F .	*Curavit Monumentum Fieri .*
CN .	*Cneo . Cnæo Cl. II. 17. Cnei Cl. II. 24.*

C. N.	*Civis Noster, vel Cai Nepos.*
CN. ARR.	*Cneus Arrius.*
CN. F.	*Cnei Filius.*
CN. L.	*Cnei Libertus.*
CN. LO.	*Cneo Lollio.*
CN. N.	*Cnei Nepos.*
CO.	*Conjux. Controversia. Conjugium.*
C. O.	*Civitas Omnis.*
COG.	*Cognitionem.*
COH.	*Cohortis Cl. I.* 77. 83. 86.
COI.	*Conjugi Cl. I.* 146.
COL.	*Colonia. Coloni. Collega. Collina Tribu Cl. III.* 139.
COL. CENT. M. R.	*Collegii Centonariorum Municipii Ravennatis Cl. III.* 28.
COL. FABR. M. R.	*Collegio Fabrum Municipii Ravennatium Cl. III.* 62.
COL. IVL.	*Colonia Julia.*
COLL.	*Collegæ. Collegii Cl. I.* 15. *Collegium Cl. III.* 62.
COLLIB.	*Colliberti Cl. I.* 165.
COLL. IVVEN.	*Collegium Juvenum.*
COL. NAR.	*Colonia Narniensis.*
COM	*Comparatum. Commodo Cl. I.* 224.
COM. DOM.	*Comes Domesticorum.*
COM. HAB. C	*Comitiorum Habendorum Caussa.*
COM. OB.	*Comitia Obdriaca.*

CON.	*Consularis Conjux Cl. I. 226.*
CONI. vel CONI.	*Conjugi Cl. I. 64. 93.*
CONIV.	*Conjunxit.*
CONIVG.	*Conjugii, vel Conjugi.*
CONLIB.	*Conlibertus.*
CON. P. S.	*Consularis Provinciæ Siciliæ.*
CONS.	*Consule Cl. I. 23. Consularis. Consiliarius.*
CONSS.	*Consules.*
CON. SEN. EQ. ORD. P. Q. R.	*Consensu Senatus Equestris Ordinis Populique Romani.*
CON. SOL. DEDIT.	*Condendo Solum Dedit.*
CONT. ∞. C. R.	*Contrariorum Milliaria Civium Romanorum.*
CONTV. vel CONTVB.	*Contubernalis Cl. I. 170.*
CON. V. PRO.	*Conjugi Viro Probo.*
COR.	*Corpus. Cornelius. Cornelia Tribu.*
COR. TR.	*Cornicularius Tribuni.*
CORR. FLAM.	*Corrector Flaminiæ.*
CORR. MI. ET. AL. SEN. V. S	*Corrector Miniciæ Et Alimentorum Seniorum Urbis Sacræ.*
COS.	*Consule Cl. II. 2. 25. Consularis.*
COS. DES. vel DESIG.	*Consul Designatus Cl. III. 80.*
COS. III.	*Consul Tertium. Tertio Cl. II. 17. 25.*
COSS.	*Consules.*
COSS. DESIG.	*Consules Designati.*

C . P .	*Civis Publicus . Clarissimus, vel Carissimus Puer . Cum Prætorio .*
C . P . R .	*Cui Præest . Classe Prætoria Ravennate Cl. III. 96.*
C . P . R . B . R .	*Comparaverunt .*
C . R .	*Creticus . Crispus . Civis Romanus . Curarunt Refici . Contractum .*
C . R . C .	*Cujus Rei Caussa .*
C . R . C . P .	*Cujus Rei Caussa Promittis .*
C . S .	*Consulum Sententia . Cum Suis .*
C . S . A .	*Contra Senatus Auctoritatem .*
C . S . F .	*Communi Sumptu Fecit , vel Factum .*
C . S . H .	*Cum Semi Hora . Communi Sumptu Heredum . Concessu Suorum Heredum .*
C.S.H.S.S.S.V.T.L.	*Communi Sepulcro Hic Siti Sunt Sit Vobis Terra Levis .*
C . S . P .	*Circa Suum Prædium .*
C . S . P . T . M .	*Conjugi Suo Posuit Titulum Merito .*
C . SVM .	*Communi Sumptu , vel Choragii Summi .*
C . SVOB .	*Cum Suo Viro .*
C . V .	*Centum Virum . Clarissimo Viro . Cl. III. 87. Colonia Viennensis .*
CVI . PR . Q . ER .	*Cui Præest Quintus Erucius .*
CVL .	*Cultores .*
CVNC .	*Conjunx .*

C . V . P . V . D . D .	*Consul Ordinarius* (V. *enim usurpatur aliquando pro* O.) *Præfectus Urbi Dedicavit. Communi Voluntate Publice Votum Dedicaverunt.*
C . V . Q . D .	*Civitatis Viterbii Quinquennalis Decurio. Clarissimus Vir Quinquennalis Decurio.*
CVR .	*Curionum. Curatores Cl. II. 8. Curavit Cl. III. 16.*
CVR . AVRELIO .	*Curante Aurelio.*
CVR . COL .	*Curator Coloniæ.*
CVR . KAL .	*Curator Kalendarii.*
CVR . PP .	*Curator Pecuniæ Publicæ.*
CVR . RESI .	*Curator Residuorum.*
CVR . R . P .	*Curator Reipublicæ.*
CVR. R. P. PIS . ET . FAN .	*Curator Reipublicæ Pisauriensium Et Fanestrium.*
CVR . VIAR .	*Curatores Viarum Cl. II. 8.*
CVS . vel CVST .	*Custos Cl. I. 216. Custodis Cl. I. 14.*
C . V . T .	*Curavit Usus Titulo.*

D

D

D . vel ᗡ . vel D̄ .	*Divo Cl. I. 305. Decius. Decima Cl. I. 55. Decuria. Decurio. Deo. Domo. Deposita. Dedicavit. Devotus. Dedit. Diva. Dies Cl. I. 55. 56. 57. 58., & passim.*

CI. vel Ð.	*Domo.*
D. A.	*Dies Artificiales.*
DAT.	*Datico.*
D. AVG.	*Divo Augusto.*
D. BAL.	*Decurio Ballistariorum.*
D. B. M. pro D. S. B. M.	*De Se Bene Merenti.*
D. C.	*Divus Cæsar, vel Decurio Coloniæ.*
D. C. A.	*Divus Cæsar Augustus.*
D. CAES.	*Divus Cæsar.*
D. C. D.	*Decuriones Coloniæ Dertosæ.*
D. C. POE.	*Decurio Pœtovione, vel Decurio Coloniæ Pœtovionis.*
D. C. R. M. vel $\overline{\text{DCRM}}$.	*Decurionum Cl. II.* 12.
D. C. S.	*De Consulum Sententia.*
D. D.	*Dedicaverunt Cl. II.* 8. 16. *&c. Deo Dicavit. Deo Domestico. Decreto Decurionum Cl. II.* 33. *Dea Dia. Diis Dantibus. Dono Dedit.*
D. D. D.	*Datus Decreto Decurionum. Ap. Cl. II.* 3. *Decreto Decuriones Dederunt. Dedit Dedicavit. Dono Decurio Dedit. Dono Dedere. Donum Dedit.*
D. D. D. D.	*Dignum Deo Donum Donavit, vel Dicavit.*
D. D. I. I. M.	*Dedicavit Jussus Jure Merito.*
D. D. L. M.	*Dono Dedit Libero Munere, vel Donum Dedit Libens Merito.*

DD . NN .	*Dominis Nostris .*
D . D . O .	*Diis Deabus Omnibus .*
D . D . S .	*Diis Deabus Sacrum .*
D . E .	*Defunctus Est .*
DEC .	*Decius . Decurio Cl. III. 18. Decurionatu Cl. III. 62. Decuriæ Cl. III. 62. 89.*
DEC . C . C . COL . AVG . LVG .	*Decurio Collegii Centonariorum Coloniæ Augustæ Lugdunensis .*
DEC . CC . M . R . vel DEC . COL . CENT . M . R .	*Decurio Collegii Centonariorum Municipii Ravennæ Cl. III.* 28. 89.
DEC . DEC .	*Decem Decani . Decreto Decurionum , vel Decem Decuriones .*
DEC . II . Q . I .	*Decurio Bis Questor Semel .*
DEC . M . R .	*Decurioni Municipii Ravennatis Cl. I. 15.*
DEC . ORN .	*Decurioni Ornato , aut Decurionalibus Ornamentis . Decurionatu Ornatus Cl. III.* 62
DEDD .	*Dedicavit .*
DEF .	*Defricator .*
D . E . MON .	*Dei Ejusdem Monitu , vel Dacus Emona .*
DENDR .	*Dendrophororum Cl. III. 125.*
DEO . NEM .	*Deo Nemauso .*
DES . vel $\overline{\text{DES}}$.	*Designatus .* Designat , *vel Depositus .*

DEST.	*Destinatio.*
DF.	*Defunctus. Dotem Fecit Decimi Filius.*
D. F. C. N̄. XX. N.	*Dabit Fisco Cæsaris Nostri Viginti Millia Nummum Cl. I. 99. vel* Dabit *Fisco Cæsaris Nummos Viginti Millia Numero.*
D. F. D. I. P.	*Decurionum Fide* Dividenda *In Publico.*
D. G.	*Dedit Gratis.* Dies *Quinque.* D. *pro* Q.
D. H.	*Donavit Heredibus, vel* Dono *Habuit.*
D. I.	*Diis Immortalibus, vel* Dari *Jussit.*
DICT.	*Dictator.*
DIG. M.	*Dignus Memoriæ.*
DIL.	*Dilectissimus.*
DIL. S.	*Dilectissimus Servus.*
D. I. M.	*Diis Inferis Maleficis.* Diis *Inferis Manibus.*
D. IMM. S.	*Diis Immortalibus Sacrum.*
D. I. M. S.	*Deo Invicto Mithræ Sacrum.*
DIS.	*Disciplinatus Est.*
DL.	*Delego.*
D. L.	*Dat Laudes.* Donavit *Locum. Decimi Libertus.*
D. L. D.	*Dedit Liberis.* L. *inter* DD. (*quæ* DEDIT. *significant*) *interjecto.*

D . L . D . P .	*Diis Locum Dedit Publice .*
D . L . S .	*Diis Laribus Sacrum .*
D . M .	*Donum Malum . Dolum Malum . Domus Mortui . Deo Magno . Diis Magnis . Diis Manibus, passim . Dubium Malum . Divino Monitu . Dulcissimæ .*
Δ . M .	*Diis Manibus .*
D . M . A .	*Dolus Malus Abesto Cl. III.* 116. 134.
DM . AE .	*Deo Magno Æterno .*
D . M . F . V . C .	*Dolo Malo Fraudisve Caussa .*
D . M . S .	*Diis Manibus Sacrum Cl. II.* 43. *Ap. Cl. II.* 2.
D . M . V .	*Diis Manibus Votum .*
DN . vel D̄N̄ .	*Dominus . Domino Cl. I.* 28. 36. 57. 320. *&c.*
D . N . & D̄.N̄.	*Domini Nostri Cl. III.* 91. 177.
D . N . M . Q . E .	*Devotus Numini Maiestatique Ejus .*
DNN .	*Dominis .*
D̄O . vel DO .	*Domino Cl. III.* 102. *Donato Cl. III.* 100.
D . O .	*Deo Optimo . Diis Omnibus .*
D . O . M .	*Deæ Optimæ Maximæ .*
DOMIC . COS . XIII . LVD . SACR . vel SAE . F . C .	*Domicius Consul Decimum Tertium Ludos Sacros, vel Sæculares Faciundos Curavit .*

D. O. P.	*Domo Ostiæ Portu.*
DOT.	*Dotem.*
D̄P. vel D. P.	*Depositus. Deposita Cl. I. 55. 56. 260.*
D. P.	*Donum Posuit. Dotem Petit. Diis Penatibus, vel Publicis. Divus Pius. Diis Paternis.*
D. PEC. R.	*De Pecuniis Repetundis.*
D. PP.	*Deo Perpetuo.*
D. P. P.	*Deo Pollenti, vel Præsenti. Potenti.*
D. P. P. D. D.	*De Propria Pecunia Dedicarunt.*
DPS.	*Depositus Cl. I. 57.*
D. P. S.	*Deo Posuit Sibi.*
D. P. S. P.	*De Pecunia Sua Posuit.*
D. Q.	*Diisque.*
D. Q. R.	*De Qua Re.*
D. Q. S.	*De Quo Supra. Die Quo Supra.*
DR.	*Drusus.*
D. R. P. M. R. HS X̄X̄ N̄	*Dabit Reipublicæ Municipii Ravennatis. Sestertia Viginti Millia Numero Cl. I. 102.*
D. R. S.	*De Reditibus Suis.*
D̄S.	*Dominus Cl. I. 57.*
D. S.	*Diis Superis, vel Deo Sacrum. De Suo.*
D. S. B. M.	*De Se Bene Merito.*
D. S. D.	*De Suo Donat.*
D. S. D. D.	*De Suo Donum Dedit.*

D . S . F .	*De Suo Fecit .*
D . S . I . F .	*De Sua Impensa Fecit .*
D . S . I . P . C .	*De Sua Impensa Ponendum Curavit .*
D . S . I . S . L . M .	*De Sua Impensa Solvit Libens Merito .*
D . S . P .	*De Suo Posuit , vel De Sua Pecunia .*
D . S . P . F . C .	*De Sua Pecunia Fieri , vel Faciundum Curavit .*
D . S . P . P .	*De Sua Pecunia Posuit .*
D . S . P . V . I . S . L . M .	*De Sua Pecunia Votum Jure Solvit Libens Merito .*
D . S . S .	*De Suo Sumptu .*
D . T .	*Dum Taxat .*
D . T . S . P .	*Diem Tertium Sive Perendie .*
DVC . DVC .	*Duce Ducenario . Ducum Ductore , vel Ducum Ductio .*
DVL .	*Dulcissimus .*
DVP .	*Duplarius , vel Duplicarius Cl. I. 70. Duplarii Cl. I. 82.*
D . V .	Devotus *Vir : Diis Volentibus .* Devotus *Vestæ , vel Dies Quintus . Devota Virgo .*
D . VIC .	*De Vicanorum Sententia .*

E

E . vel E̅ .	*Ergo . Erbonius . Erexit . Exactor . E nota Centurionis . Est Cl. I. 57.*
E·)	*Ejus .*

EB.	*Ejus Bona.*
E. C.	*Erigi Curavit.*
ED.	*Ejus Domus.*
E.D.D.F.F.I.Q.Q.P.	*Ex Decreto Decurionum Fieri Fecit Item Quo Que Probavit.*
EE.	*Esse.*
E. E.	*Ejus Ætas.*
E. F.	*Ejus Filius. Ejus Fecit. Egregia Fœmina.*
E. FIL.	*Ejus Filius.*
EG.	*Æger. Erga.*
E. H.	*Ejus Heres.*
E. H. O. L. N. R.	*Ejus Hac Omnibus Lege Nihilum Rogatum.*
E. L.	*Ædita Lex.*
EM.	*Ejusmodi. Emeritus.*
EMP.	*Emptor.*
E. M. V.	*Egregiæ Memoriæ Viro.*
E. N.	*Etiam Nunc.*
EOR.	*Eorum.*
EP.	*Epistola.*
E. P.	*E Precio.*
EPI.	*Epistola.*
EP. M.	*Epistolam Misit.*
EPOR.	*Epora.*
EQ.	*Eques Cl. II. 14. Equiti Cl. II. 3.*
EQ. AVG. N.	*Eques Augusti Nostri.*
EQ. M. SP. POM.	*Equitum Magister Spurius Pompejanus.*

EQ. OR.	*Equestris Ordinis.*
EQ. P.	*Equo vel Equiti Publico Cl. II. 4.*
EQ. PVB.	*Equus Publicus, idest Eques, passim.*
EQ. R. EQ. ROM.	*Equiti Romano Cl. II. 3.*
ER.	*Erint. Erunt.*
E. R. E. V.	*E Republica Esse Videbitur.*
ER. LEG.	*Erogatori Legionis. Eranista Legionis.*
E. S.	*E Suo.*
E. S. Q.	*Esquilina Tribu.*
E. T.	*Ex Testamento.*
E. T. F. I. S.	*Ex Testamento Fieri Jussit Sibi.*
E. V.	*Ex Voto.*
EVOC.	*Evocato Cl. I. 91.*
EX. A. D. C. A.	*Ex Auctoritate Divi Cæsaris Augusti.*
EX. A. Q. I. R. P. V. & EX. AVC. Q. IVN. RVS. PR. VR.	*Ex Auctoritate Q. Junii Rustici Prætoris Urbani.*
EXB. S.	*Ex Bonis Suis.*
EXC. C.	*Ex Consensu Civitatis.*
EX. D. D.	*Ex Decreto Decurionum.*
EX. DEC. DEC. MVN. MAL.	*Ex Decreto Decurionum Municipii Malacensis.*
EX. DO. AVG.	*Ex Domo, vel Dono Augusti.*
EX. D. ORD.	*Ex Decreto Ordinis.*
EX. EA...	*Ex Eadem Cl. I. 212.*

EX . EAD . HER .	*Ex Eadem Hereditate Cl. I. 96.*
EXEMPL . DECR . Q . F .	*Exemplum Decreti Quondam Facti, vel Quod Factum.*
EXERCITA . N .	*Exercitationi Numeri, idest Legionis.*
EX . FIG .	*Ex Figlina, sive Figulina. Cl. I. 224.*
EX . FVR .	*Ex Furfuria, nempe Pecunia.*
EX . NAVP .	*Ex Naupego. Ex Navi Prætoria. Ex Nauphylace Cl. I. 99. 226.*
EX . PR .	*Ex Præcepto, vel ex Prædio.*
EXPRANNAFRPR .	*Ex Præfecto Annonæ Africæ Proconsul, vel Prætor, vel Provinciæ Cl. I. 181.*
EXQ .	*Exquilina Tribu.*
EX . R .	*Exactis Regibus.*
EX . S . C .	*Ex Senatus Consulto.*
EX . S . C . TERMIN .	*Ex Senatus Consulto Terminaverunt.*
EX . TM .	*Ex Testamento.*
EX . TT . SS . HH .	*Ex Testamentis Suprascriptorum Heredum.*
EX . V .	*Ex Voto, vel Ex Visu.*
EX . V . P .	*Ex Voto Posuit.*

F F

F.	*Filio Cl. I. 295. Filius Cl. III. 32. Filia. Fecit Cl. I. 139. Cl. II. 15. &c. Flamen. Flavius. Flavia. Februarius. Fundus. Fratri Cl. II. 15.*
ꟻ.	*Filia. Literam* F. *ad sinistram partem conversam sic* ꟻ. *sæpius reperies. Et pro* V. *sic versa legitur (ut Tortellius notat) in multis dictionibus, ut* SERꟻVS *pro Servus*, DAꟻVS *pro Dauus, &* ꟻVLGVS *pro Vulgus, &* ꟻIXIT *pro vixit.*
FAB.	*Fabius. Fabia Tribu Cl. II. 26.*
FABR.	*Fabrum Cl. III. 62.*
FAC.	*Facti.*
FAC. C.	*Faciundum Curavit.*
FAL.	*Faleria Tribu.*
F̄B.	*Februarii Cl. I. 55.*
F. B. M.	*Fecit Bene Merenti Cl. II. 44.*
F. C.	*Felix Constans. Fidei Commissum, vel Fiduciæ Caussa, vel Fraude Creditoris. Faciundum Curavit, vel Facere Curavit. Fieri Curarunt Cl. III. 116.*

F. D.	*Fides Data.*
F. D. M.	*Fecit Diis Manibus.*
F. E.	*Fides Ejus.*
FEB.	*Februarius.*
FEC.	*Fecit. Fecerunt. Fecialis.*
F. E. D.	*Factum Esse Dicitur.*
FER. LAT. C.	*Feriarum Latinarum Caussa.*
FF.	*Filius Familias.*
F. F.	*Flando Feriundo. Fabrefactum. Fabrifactura. Fabricaverunt. Fidem Facit.*
F. FA.	*Filius Familias.*
F. F. Ɔ. L.	*Filiorum Duorum Caiæ Libertæ.*
F. F. F.	*Fortior Fortuna Fato, vel Fortius Fortuna Fatum. Ferro Flamma Fame. Flavii Filius Fecit.*
F. F. F. F. F.	*Fratres Fecerunt Fieri Cl. III. 66.*
F. F. P. P. F. F.	*Fortissimi Piissimi Felicissimi, vel Felicissimi Fortissimi Piissimi Principis Filio Felicissimo, vel Florentissimi Patris Patriæ Florentissimo Filio.*
F. H.	*Filius Heres.*
F. H. F.	*Fieri Heredes Fecerunt.*
FI.	*Filius.*
F. I.	*Fieri Jussit, aut Fieri Instituit.*

F. I. A.	*Felicitas Julia Augusta.*
FID.	*Fides.*
F. I. D. P. S.	*Fieri Jussit de Pecunia Sua.*
FIG.	*Figlina, vel Figulina.*
FIL.	*Filius. Filia Cl. I.* 151.
FIN. POMER. TERMIN.	*Fines Pomerii Terminarunt.*
FISC. vel FISCVR.	*Fisci Curator Cl. II.* 25.
FL.	*Flaminius. Flaminia. Flavia. Flavio Cl. I.* 305. *Cl. II.* 2. *Flamen.*
FL. DIVI.	*Flamen Divi.*
FL. DIVI. T.	*Flamen Divi Titi.*
F. L.	*Flavii Libertus, vel Liberta. Flavius. Flavia.*
FLAM.	*Flaminius. Flaminia. Flamen.*
FLAM. DIAL.	*Flamen Dialis.*
FLAM. MART.	*Flamen Martialis.*
FLAM. P. H. C. P. H. C.	*Flamini Provinciæ Hispaniæ Citerioris Provincia Hispania Citerior.*
F. L. L. P. S.	*Fecit Libentissime Pecunia Sua.*
F. M.	*Fati Munus, vel Fieri Mandavit.*
F. M. I.	*Fati Munus Implevit.*
F. N.	*Fides Nostra.*
F. N. C.	*Fidei Nostræ Commisit, vel Commissum.*
F. NESCA.	*Felix Nescania.*
FOR.	*Forum. Forte. Fortuna. Fortunata.*

FOR . COR .	*Forum Cornelii .*
FOR . I .	*Forum Julium .*
FOR . L .	*Forum Livium .*
FOR . RED .	*Fortunæ Reduci .*
F . P .	*Formæ Publice .*
FR .	*Forum . Frumentarius . Frater Cl. I. 70. Fronte Cl. III. 121. 124.*
F . R .	*Fronte .*
FR . D .	*Frumenti Dandi .*
FR . F .	*Fratris Filius .*
F . R . S .	*Fratres .*
FRVM . LEG . II . AVG .	*Frumentario Legionis Secundæ Augustæ Cl. I. 169.*
FS .	*Fratres .*
F . S .	*Forum Sempronii .*
FVL .	*Fulvius . Fulvia .*
FVNC . vel FVNCT .	*Functo Cl. III. 110.*
FVT .	*Futuris .*
F . V . C .	*Fraudisve Caussa .*
F . VI . D . S . E .	*Filius Sex Dierum Situs , vel Sepultus Est .*
F . V . S .	*Fecit Voto Suscepto .*

G G

G .	*Gaudium . Genius . Gemina . Gajus .*
G . pro C .	*Centurio .*
GAL .	*Galeria Tribu Cl. II. 12. Ap. Cl. III. 4.*

G . AVG .	*Genio Augusti .*
G . D . D .	*Gratuitus Decreto Decurionum .*
GEL .	*Gellius .*
GEM .	*Geminæ Cl. I. 86. 91. &c.*
GER . & GERM .	*Germanicus . Germano Cl. III. 132.*
GER . P .	*Germania Provincia .*
G . F .	*Geminæ Fidelis .*
GG .	*Gesserunt .*
GL .	*Gloria .*
GL . E . R .	*Gloria Exercitus Romani .*
GL . N . L .	*Gloria Nominis Latini .*
GL . P .	*Gloria Parentum .*
GL . P . P .	*Gloria Patriæ Populi .*
G . M . V .	*Gemina Minervia Victrix .*
GOT . MAX .	*Gothico Maximo .*
G . P . F .	*Geminæ Piæ Fidelis .*
GR .	*Gratis . Gerit . Graius , vel Græcus Cl. III. 58.*
G . R .	*Genus Rerum . Genus Regium .*
GRAC .	*Graccus .*
GR . D .	*Gratis Dedit .*
GS .	*Gajus .*
G . S .	*Genio Sacrum .*

H H

H .	*Hora . Hoc . Heres Cl. I. 64. 78. 82. 97. 216. &c. Hereditas . Honor . Honestas . Hic . Homo . Habet .*
H . A . C .	*Heredes Amico Curarunt .*

H. A. C. F. C.	*Heredes Ære Communi Faciundum Curavere.*
H. ADQ.	*Hic Adquiescit.*
HADR.	*Hadrianus.*
H. A. E. C.	*Hanc Aram Erigendam Curavit.*
H. A. F. C.	*Hanc Aram Faciendam Curavit.*
H. A. I. R.	*Honore Accepto Impensam, vel Impendium Remisit.*
H. ARA. H. N. S.	*Hæc Ara Heredes Non Sequitur.*
H. B.	*Hora Bona. Homo Bonus.*
H. B. F.	*Homo Bonæ Fidei.*
H. B. M. F.	*Hæredi Bene Merito Fecit.*
H. B. M. F. C.	*Heres Bene Merenti Faciundum Curavit.*
H. B. M. P. vel PO.	*Heres Bene Merenti Posuit Cl. I. 70. 213. Cl. III. 51.*
H. C.	*Heres Curavit.*
H. C. D. D.	*Huic Collegio Dedicarunt.*
H. C. PON. CVR.	*Hoc Conditorium Ponendum Curavit Cl. III. 96.*
H. D.	*Hic Dedicavit.*
H. D. D.	*Hic Dedicaverunt.*
ꟷER. vel HER.	*Hereditate Cl. I. 96. Heres Cl. I. 144. 151. 221.*
HERED. EX. T. F. C. vel H. E. T. F. C.	*Heredes Ex Testamento Fieri Curarunt.*
H. ET. LIB.	*Heredes Et Liberti.*
H. F.	*Honesta Fœmina. Hic Fundavit. Heres Fecit Cl. I. 169.*

H. F. S. C. A.	*Heredes Fecerunt Sumptu Communi Aram.*
H. H.	*Homo Honestus.*
H. H. E. B. M.	*Heredes Ejus Bene Merenti Fecerunt.*
H. H. P. P.	*Hispaniarum Provinciarum Duarum.*
H. I.	*Hora Prima. Hereditario Jure. Heres Juravit.*
H. I. I.	*Heres Jussu Illorum.*
H. L.	*Hic Locus. Honesto Loco.*
H. L. D.	*Hic, vel Huic Locum Dedit.*
H. L. H. N. S.	*Hic Locus* Hæredes *Non Sequitur. Nota prædicta verba. Quod* Hæredes *non sequebantur monumentum, sed monumentum sequebatur* Hæredes. *Apian.*
H. L. N.	*Honesto Loco Natus.*
H. L. R.	*Hanc Legem Rogatam.*
H. L. S. H. N. S.	*Hunc Locum Scripti* Heredes *Non Sequuntur.*
H. L. S. T. O.	*Hunc Locum Sibi Testamento Ordinavit.*
H. M. vel W.	*Honesta Mulier.* Hora *Mala.* Hoc *Monumentum.*
H. M. AD. H. N. T.	*Hoc Monumentum Ad Hæredes Non Transit.*
H. M. D. A.	*Huic Monumento Dolus Abesto.*
H. M. D. M. A.	*Huic Monumento Dolus Malus Abesto, vel Abest Cl. III.* 116. & 129.

H. M. D. M. A. E.	*Huic Monumento Dolus Malus Absens Est.*
H. M. E.	*Homini Memoriæ Egregiæ.*
H. M. E. H. N. S.	*Hoc Monumentum Externum Heredem Non Sequitur.*
H. M. EXT. N. R.	*Hoc Monumentum Exteros Non Recipit.*
H. M. G. N. S.	*Hoc Monumentum Gentiles Non Sequitur.*
H. M. H. E. N. S.	*Hoc Monumentum Heredes Ejus Non Sequitur, vel Hoc Monumentum Heredes Exteros Non Sequitur.*
H. M. H. N. S.	*Hoc Monumentum Heredes Non Sequitur Cl. II.* 1. *Cl. III.* 43.
H. M. H. S.	*Hoc Monumentum Heredes Sequitur.*
H. M. M. H. M. N. S. F.	*Humanitatis Mala Metuens Hoc Monumentum Nomini Suo Fecit.*
H. M. P.	*Hic Memoriæ Posuit. Hoc Monumentum Posuit.*
H. M. SS. HH. Ex. N. S.	*Hoc Monumentum Sive Sepulcrum Heredes Exteros Non Sequetur.*
H. N. S.	*Heredes Non Sequitur.*
HON.	*Honestus. Honoribus Cl. III.* 110.
HON. VSVS.	*Honore Usus.*
HOR.	*Horatia Tribu.*

HOR. VII.	*Horis Septem Cl. III.* 120.
HOS.	*Hostis.*
HOSS.	*Hostes.*
H. O. V. F. F. D. S. EM. M. C. S.	*Hic Ollas Quinque* Filiis *De Suo Emit Monumentum Que Merenti Conjugi Suæ, vel* Fieri Fecit *De Suo Ære.*
H. P.	*Hic Posuit. Hora Pessimà.* Honesta *Persona.* Heres *Posuit Cl. I.* 101.
H. POSS.	*Hereditatis Possessores.*
H. R.	*Honesta Ratio.* Hic *Requiescit.*
H. R. I. P.	*Hic Requiescit In Pace.*
H. R. I. R.	*Honore Recepto Impensam Remisit.*
HS. vel H-S. vel ~~HS~~.	*Sestertium Cl. I.* 102. 137.
H. S.	*Herculi Sacrum.* Hora *Secunda, vel Sacra.* Hæc *Sit.* Sic.
H. S. E.	*Hic Situs Est.* Hic *Sors Ejus Cl. II.* 39. *Cl. III.* 95.
H. S. EI. F. L.	*Hæres Suus Ei* Fecit *Libentissime, vel* Hoc *Sumptu Ejus* Fieri *Legavit. Clas. III.* 83.
H. S. E. S. T. T. L.	*Hic Situs Est Sit Tibi Terra Levis.*
H. S. F.	*Hoc Solus* Fecit. Hoc *Sepulcrum* Fieri *Cl. I.* 228.
H. S. F. H. T. F.	*Hic Situs* Fuit *Heredes Titulum* Fecerunt, *vel Hoc Sibi* Fecit.

kkk 2

H.S.F.L.S.P.D.D.	*Hoc Sibi Fecit Locus Sepulturæ Permissus Decreto Decurionum.*
H.S.H.N.S.	*Hoc Sepulcrum Heredes Non Sequitur.*
H.S.S.	*Hic Sepulti Sunt, vel Siti Sunt.*
H.S.T.N.E.	*Huic Sepulcro Titulus Non Est.*
H.S.V.F.M.	*Hoc Sibi Vivens Fieri Mandavit.*
H.V.	*Hispaniæ Utriusque. Honore Usi.*
H.V.S.R.	*Honore Usus Sumptum Remisit.*
H.V.	*Honestus Vir. Honesta Vita. Hic Vivit.*

I I

I.	*Semel. Imperator. In vel Inter. Julius. Julia. Prima prænomen.*
I.)	*Inter. Intra.*
I`A.	*Interea.*
IAN.	*Januarius.*
IA.P.	*Intra Provinciam.*

I. A. P. Q. V.	*Incomparabili Amantissimæ Prestantique Virtute.*
I. C.	*Juris Consultus. Julius Cæsar. Intra Circulum. Judex Cognitionum.*
I. C. E. V.	*Justa Caussa Ejus, vel Esse Videtur.*
ID. vel ĪD.	*Idus. Cl. I. 115. 256. &c. Iduarii. Interdum.*
I. D.	*Jussu Dei. Inferis Diis. In Dimidio. Juris Dicendi. Juridicundo Cl. II. 24.*
I. D. C.	*Juris Dicendi Caussa.*
I. D. N. CIV.	*Judex Delegatus Nomine Civium.*
I. D. P.	*Juridicundo Præerit, vel Præfuit.*
ID. QVOT. DF. H-S. C.	*Idem Quot Annis Det* Fisco *Sestertios Centum.*
I. E.	*Judex Esto.*
I. F.	*Julii Filius. In Foro. Jussu Fecit.*
I. FO. B.	*In Foro Bovario.*
I. FO. C.	*In Foro Cæsaris.*
I. FO. FLAM.	*In Foro Flaminio.*
I. FO. I. vel IV.	*In Foro Julii.*
I. FO. L.	*In Foro Livii, Lucii.*
I. FO. P.	*In Foro Pacis.*
I. FO. POMP.	*In Foro Pompilii.*
I. FO. POP.	*In Foro Populi.*
I. FO. P. R.	*In Foro Pro Rostris.*

I . FO . TR .	*In Foro Trajani .*
I . H .	*Justus Homo .*
II .	*Secundus , Agnomen . Secundo Cl. II. 25.*
II . V . vel VIR .	*Duumviri Cl. II. 28.*
II . V . vel VIR . DD .	*Duumviris Dedicantibus .*
II . V . vel VIR . I . D .	*Duumvir Juredicundo .*
III . vel $\overline{III}$.	*Tertio , vel Tertium Cl. II. 25. Triere Cl. I. 84. 88. 90. 92. 94. &c.*
$\overline{III}$. A°. AESC. APOLL . ARCIN . AVG .	*Triere Æsculapio , Apolline , Arsinoe , Augusto . Cl. I. 18. 212. 213. 218. Cl. II. 22.*
$\overline{III}$. CAST .	*Triere Castore . Cl.* I. *96. 222.*
$\overline{III}$. DANAE .	*Triere Danae Cl. I. 228.*
$\overline{III}$. DIANA .	*Triere Diana Cl. I. 94.*
$\overline{III}$. HER .	*Triere* Hercule *Cl. I. 64. Cl. II. 21.*
III . MARIN .	*Triere Marino Cl. I. 46.*
$\overline{III}$ MARTE .	*Triere Marte Cl. I. 88. Cl. II. 41.*
III . MERC .	*Triere Mercurio Cl. III. 135.*
$\overline{III}$. MIN .	*Triere Minerva Cl. I. 217. Cl. III. 152.*
$\overline{III}$. NEPTVNO .	*Triere Neptuno Cl. I. 90. 310.*
$\overline{III}$. PACE .	*Triere Pace Cl. III. 96.*
$\overline{III}$. PIET .	*Triere Pietate Cl. I. 70. 92.*

III . PROVIDENTIA , vel PRO	*Triere Prōvidentia Cl. I.* 12. 100.
III . TRIVMPHO .	*Triere Triumpho Cl. III.* 58.
III . VEN .	*Triere Venere Cl. III.* 104.
III . VICTO . vel VICT .	*Triere Victoria Cl. I.* 84. *Cl. II.* 45. *Cl. III.* 141.
III . V . vel VIR .	*Triumvir .*
III . vel . VIR . A . A . A . F . F .	*Triumvir Auro Argento Ære Flando Feriundo .*
III . V . vel VIR . R . P . C .	*Triumvir Reipublicæ Constituendæ .*
IIII .	*Quadriere Cl. I.* 20. 219. *&c. Quarta Agnomen* Fœminæ .
IIII . FORT . vel IIII .	*Quadriere* Fortuna *Cl. I.* 97. 216. 219.
IIII . MERC .	*Quadriere Mercurio C. III.* 104.
IIII . PAD .	*Quadriere Pado . Cl. I.* 33. *Cl. III.* 52.
IIII . VESTA .	*Quadriere Vesta Cl. I.* 220.
IIII . VICTORIA .	*Quadriere Victoria Cl. I.* 20.
IIII . V . vel VIR .	*Quatuor Vir . Quartum Vir . Cl. I.* 49.
IIII . VIR . AED . POT .	*Quartum Viro Ædilitiæ Potestatis Cl. II.* 4.
IIII . V . vel VIR . A . P .	*Quatuor Vir Ædilitiæ Potestatis .*
IIII . V . vel VIR . I . D .	*Quartum Viro Jure Dicundo . Cl. II.* 24.
IIIIII . VIR .	*Sexvir . Sevir .*
IIIIII . VIR . AVG .	*Sevir . Sexvir Augustalis .*

$\overline{\text{II}}$. M.	*Iteratus Miles*.
II. VOTA.	*Iterum Vota*.
I. L.	*Intra Limitem. Jure Legis: In Loco. Justa Lex*.
I. L. D.	*In Loco Divino*.
I. L. F.	*Illius Liberta Fecit*.
I. L. H.	*Jus Liberorum Habens*.
I. L. P.	*In Loco Publico*.
I. L. S.	*In Loco Sacro*.
IMM. A. $\overline{\text{IIII}}$.	*Immunis Annos Quatuor*.
IMM. $\overline{\text{II}}$. HON. $\overline{\text{IIII}}$.	*Immunis Iterum Honoratus Quartum*.
IMP.	*Imperatori Cl. II.* 8. 16. *&c.*
IMP. COMM. AVG.	*Impensa Communi Augustalium*.
IMP. IP.	*Imperio Ipsorum*.
IMP. N.	*Imperator Noster*.
IMPP.	*Imperatores, vel Imperatores Duo*.
IMPPP.	*Imperatores Tres*.
IM. S.	*Impensa Sua*.
IN. AG. P. X.	*In Agro Pedes Decem Cl. II.* 39.

Hic nota. Quoniam apud antiquos sepulcrum non universam terram ei sacram occupabat, solebant adnotare in ipso sepulcro ad quot pedes in frontem. i. *latitudinem, & juxta viam procederet. Et rursus, ad quot pedes in agrum.* i. *longitudinem agri porrigeretur. Apian. Abbreviat. Antiquit.*

IN . AGR .	*In Agro Cl. I.* 138.
INC .	*Incolæ* .
IND . vel IND .	*Indictione . Clas. I.* 17. 28. 36. *&c. In Dextro* .
IN . E . L . F . E .	*In Ejus Locum Factus Est* .
INF .	*In Fronte Clas. I.* 156.
INF . AR . PP . R .	*Inferat Ærario Populi Romani* .
IN . F . IN . A . V . L . P . X .	*In Frontem In Agrum Versus Longe Pedum Decem* .
INF . P . II . INA . P . VI .	*In Fronte Pedes Duo In Agro Pedes Sex Cl. I.* 156. *&c.*
IN . FR . P . X .	*In Fronte Pedes Decem Clas. I.* 138.
IN . H .	*In Honorem* .
IN . H . D . D .	*In Honorem Domus Divinæ . In Honorem Deorum* .
IN . H . H .	*In Hoc Honore* .
IN . H . L . S . E .	*In Hac Lege Scriptum Est* .
IN . H . M .	*In Hoc Magistratu* .
IN . H . T . SVNT . COM . OR . H . S .	*In Hoc Titulo Sunt Comprehensa Ornamenta Hujus Sepulcri* .
INL .	*Inlustris* .
IN . M . M .	*In Magistratu Mortuus Est* .
IN . M . O . E .	*In Magistratu Occisus Est* .
IN . PR . O . E .	*In Prælio Occisus Est* .
I . N . Q .	*Injustis Nuptiis Quæsitus* .
I . N . Q . Q .	*Injustis Nuptiis Quæsita Quæsitus* .
IN . SING . H .	*In Singulos Homines* .
IN . S . R .	*In Senatu Romano* .
IN . TVT . vel TVTEL .	*In Tutelam* .

IN. V. I. S.	Illustris *Vir* Infrascriptus.
I. O.	In *Opus*.
I. O. M.	*Jovis Optimi Maximi Cl. I. 65.*
I. O. M. D.	*Jovi Optimo Maximo Dedicavit Cl. III. 86.*
I. O. M. D. CON.	*Jovis Optimi Maximi Dat Consecrat Cl. I. 65.*
I. O. M. D. I.	*Jovis Optimi Maximi Divino Jussu.*
I. O. M. H. A. vel AVG.	*Jovi Optimo Maximo Herculi Augusto, vel Honori Augusto.*
I. O. M. I. M.	*Jovi Optimo Maximo* Immortali.
I. O. M: I. M.	*Jovi Optimo Maximo Junoni Minervæ.*
I. P.	In *Possessione. Justa Persona. Jus Pontificium. Justus Possessor.*
I. P. N. M. P. XV.	*Julia Paterna Narbonensis Martia Ped.* XV.
I. Q. P.	*Idemque Probavit.*
I. R.	*Junoni Reginæ. Juribus Romanorum. Jus Romanum.*
I. S.	*Judicium Solvit.* In *Senatu. Judicio Senatus.*
I. S. C.	*Judex Sacrarum Cognitionum.* In *Senatus Consulto.*
I. S. S.	Infra *Scripta Sunt.*
I. S. V. P.	Impensa *Sua Vivus Posuit.* In *Suo Vivi Posuerunt.*

IT.	*Iterum.*
I. T.	*Intra Tempus. Jure Testamenti.*
I. T. C.	*Intra Tempus Constitutum.*
IVD.	*Judicium.*
I. V. E. E. R. P. F. S. V. C.	*Ita Uti Eis E Republica Fideve Sua Videbitur Censuere.*
IVL.	*Julius. Quinquaginta Minus Quatuor, vel Quatuor de Quinquaginta.*
IVNON. ET. PROSERP.	*Junoni Et Proserpinæ.*
IVL. P. AREL.	*Julia Paterna Arelate.*
IVR. DIC.	*Jure Dicundo.*
I. V.	*Justus Vir.*

K — K

K.	*Caja. Castra. Cæso. Casa. Candidatus. Calendas Cl. I. 57. Carissima.*
K. KA. vel ꓘ.	*Carissima.*
KAL. vel $\overline{\text{KAL}}$.	*Calendarum Cl. I. 52. Calendas Cl. I. 202. 208.*
KAR.	*Cartago. Carissimus.*
KARC. COHOR.	*Carceris Cohortis.*
KAR. M. vel MAX.	*Cardo Maximus.*
K. C.	*Cartago Civitas. Capite Census. Capite. Censuum.*
K. D.	*Castra Dedicantia. Dedicamus. Dedicavit. Dedititia. Capite Diminutus.*

K . F .	*Cardo Finalis . Cæsonis Filius .*
K . I . vel IAN .	*Calendæ Januarii .*
KK .	*Capit . Carissimæ . Calumniæ . Caussa . Per duo Cappa juncta .*
KL .	*Calendæ .*
K . N .	*Cæsonis Nepos .*
K . P .	*Cardo Positus . Castra Ponit .*
K . Q .	*Calendæ Quintiles .*
K . S .	*Calendæ Sextiles .*

L L

L .	*Lyciæ . Legio . Libertæ Cl. III. 57. Lucius Cl. I. 34. 101. Lelius . Lollius . Libertus . Longum . Lustrum . Locus , sive Sepulcrum . Sestertius Nummus . Quinquaginta Cl. I. 79.*
L . A .	*Libens Auimo .*
L . A . C .	*Latini Coloni .*
L . A . D .	*Locus Alteri Datus .*
L . AG .	*Lex Agraria .*
L . AP .	*Ludus Appollinis .*
L . B .	*Locum Bene , vel Bivi , idest Vivi , vel Liberti Cl. I. 135.*
L . B . M . D .	*Locum Bene Merenti Dedit .*
LC .	*Locus .*
L . C .	*Locus Concessus . Lucius Cornelius . Lege Cavetur .*
LC . D .	*Lucrum Divinum .*

L . C . F .	*Lucius Cajus Felix .*
L . CIN .	*Lex Cinthia .*
LC . S .	*Lucrum Sacrum . Lucum Sacrum .*
L . D .	*Locum Datum . Locum Divinum . Locum Deditum . Locum Dedititium . Larum Divinorum , idest Domus Divinæ sive Augustæ .*
L . D . A . B . M .	*Locum Dedit Aulus Bene Merenti .*
L . D . D .	*Libens Dono Dedit .*
L . D . D . C .	*Locus Datus Decreto Collegii .*
L . D . DD .	*Locum Diis Dedicavit Cl. I. 267. Locum Dono Dederunt .*
L . D . D . D .	*Locus , vel Lapis Datus Decreto Decurionum Ap. Cl. II. 3.*
L . D . D . PA .	*Locus Datus Decreto Patrum .*
L . D . P .	*Locus Datus Publice .*
L . D . S . C .	*Locus Datus Senatus Consulto , aut Sententia Collegii .*
LEG .	*Legavit . Legionis Cl. I. 86. Legionarius . Legatarius . Legato Cl. I. 306.*
LEG . AVG .	*Legio Augustalis . Legatus Augusti .*
LEG . AVG . PR . PR .	*Legatus Augusti Pro Prætore .*
LEG . GR . V .	*Legatus Gratuito Quinquies .*
LEG . $\overline{\text{II}}$. TR . FOR .	*Legio Secunda Trajana Fortis .*
LEG . PROV .	*Legato Provinciæ .*

LEG . PR . PR . PROV .	*Legato Pro Prætoris Provinciæ Cl. I. 306.*
LEG . S . S .	*Legionis Supra Scriptæ .*
LEG . V . M . P . C .	*Legione Quinta Macedonica Pia Constante .*
LEG . VII . CL . GEM . P . FIDEL .	*Legione Septima Claudia Gemina Pia Fideli .*
LEG . VIII . C . P . F .	*Legionis Octavæ Claudiæ Piæ Felicis , vel Fidelis Clas. III. 83.*
LEG. $\overline{\text{XIIII}}$. GEM. ET . XI. CL . ET . $\overline{\text{II}}$. AVG .	*Legionis Decimæquartæ Geminæ , & Undecimæ Claudiæ , & Secundæ Augustæ Clas. I. 86.*
LEG. XXII. PRIMIG . P. F.	*Legionis Vigesimæsecundæ Primigeniæ Piæ Fidelis , vel Felicis Cl. I. 91.*
L . E . LI . M . C . S .	*Libens Et Libens Merito Cum Suis .*
LEM .	*Lemonia Tribu Cl. III. 83.*
L . EM .	*Locus Emptus .*
L . F .	*Lucii Filius Cl. I. 126. Cl. II. 5. &c. Filiæ Cl. I. 143.*
L . F . F . O . M . M . D . S .	*Libenter Fieri Fecit Omni Meliori Modo De Suo .*
L . F . L . N .	*Lucii Filius Lucii Nepos .*
LG .	*Legavit .*
LG . D .	*Legio Decima . Legem Dat ; vel Dedit .*
L . H .	*Locum Heredum . Locum Hunc .*
L . H . L . D .	*Locus Hic Liber Datus .*

L. H. S. C. P. S.	*Lcuum Hujus Sepulcri Curavit, vel Comparavit Pecunia Sua.*
LIB.	*Libertus Clas. I. 63. Cl. II. 15. &c. Libertæ Cl. I. 109. Liburna Cl. I. 177.*
LIB. LIB. Q. POST. Q. E.	*Libertis Libertabus Que Posteris Que Eorum.*
LIB. M. V. F.	*Libens Merito Voto Facto.*
LIBVRN. VARVAR.	*Liburna Barbaro, vel Barbaris Cl. III. 70.*
L. IV.	*Lex Julia.*
LL.	*Luciorum Cl. III. 133.*
L. L.	*Libentissime. Lucii Liberto Cl. I. 126. Liberta. Laurentum Lavinatum. Lætus Lubens.*
L. L. L.	*Duorum Luciorum Libertus.*
L. L. L. L. I. E.	*Lucius Duorum Luciorum Libertus Jussu Ejus.*
L. L. L. P. O. M. S.	*Liberis Libertis Libertabus Posteris Omnibus Monumento Scriptorum.*
L. L. M.	*Lubentissime Merito.*
L. L. P. E.	*Libertis Libertabus Posteris Eorum.*
LLS.	*Sestertia.*
L. LVC. Q. F.	*Lucius Lucejus Quinti Filius.*
L. L. V. S. L. M.	*Libens Libens Voto Suo Libero Munere. Libens Libens Vivus Sibi Locavit Monumentum.*

L. M.	*Lucius Murena. Locus Monumenti. Locus Mortuorum. Libens Merito.*
L. M. D.	*Libens Merito Dedit, vel Locum Monumenti Dedit.*
L. N.	*Lucii Nepos. Librarius Notarius.*
LOC. D. EX. DD.	*Locus Datus Ex Decreto Decurionum.*
LOC. SEPVL.	*Locus Sepulcri.*
L. P.	*Locus Propitius. Promptus. Proprius. Lege Punitus. Libens Posuit.*
L. P. C. D. D.	*Locus Publice Concessus Decreto Decurionum.*
L. P. C. R.	*Latini Prisci Cives Romani.*
L. P. D.	*Locus Publice. Datus, vel Plebi Datus.*
L. P. D. D. D.	*Locus Publice Datus Decreto Decurionum.*
L. PR.	*Locus Privatus.*
L. PR. C.	*Latini Prisci Cives.*
L. PVB.	*Loco Publico.*
L. P. V. LAT. P. III.	*Longum Pedes Quinque Latum Pedes Tres.*
L. Q. S.	*Locus Qui supra.*
L. R.	*Lex Romana.*
L. S.	*Laribus Sacrum. Locus Sacer. Libens Solvit. Locus Sepulcri.*
L. S. A.	*Lucius Sextius Aurelius.*

L. S. M. C.	*Locum Sibi Monumento Cœpit.*
L. T.	*Lucius Tatius. Titius. Legem Tulit.*
LVD.	*Ludi.*
L. V.	*Lex Vetat. Quinquaginta Quinque.*
L. VOC.	*Lex Voconia.*
L. V. S. F.	*Locum Vivus Sibi Fecit Clas. III.* 167.
L. XX. N. P.	*Sestertia Viginti Millia Nummum Pendit.*

M   M

M. vel M̄.	*Marmora. Mater. Marcus Cl. I.* 80. 82. 84. *Magister. Memoria. Militis Clas. I.* 217. *Menses Cl. I.* 5. 56. 57. 58. 112. &c. *Monumentum Cl. I.* 145. *Mucius. Militavit Cl. I.* 82. 90. 96. 97. &c.
M'.	*Manlius.*
W.	*Mulier.*
MA.	*Macunius. Massilia.*
M. A. A.	*Municipium Albæ Augustæ.*
MACH. F. P.	*Machinarii Fori Pistorii.*
M. AEM.	*Marcus Æmilius.*
MAG.	*Magistratus. Magistro Clas. II.* 4.
MAG. EQ.	*Magister Equitum.*

MAG . ET . DEC .	*Magistris Et Decurionibus .*
MAG . QVINQ . COLL . FABR . TIG .	*Magister Quinquennalitius Collegii Fabrum Tignariorum .*
MAG . MVN . RAVEN .	*Magistro Municipii , vel Muneris Ravennatis* Cl. II. 4.
M . A . G . S .	*Memor Animo Grato Solvit .*
MAR .	*Marmorea .*
M . AVR .	*Marcus Aurelius .*
MAX .	*Maximo* Cl. II. 8. &c.
M . B .	*Mulier Bona . Municipium Bergomatum .*
M . B . M .	*Mensam Bonæ Memoriæ .*
M . C .	*Monumentum Consecravit , vel Condidit . Marcus Cicero . Marcus Censor .*
M . C . D .	*Memoriæ Caussa Datum .*
M . CLAVD .	*Municipium Claudianum .*
M. CL. PR. ANTONNIAN. RAV. (T above the second N of ANTONNIAN)	*Miles Classis Prætoriæ Antoninianæ Ravennatis* Cl. I. 217.
M . COH .	*Miles Cohortis .*
M. C. P. M . RENO . CYR .	*Memoriæ Caussa Posuit* M . *Reno Cyrenensi .*
M . D .	*Militum Dacorum .*
M . D . M .	*Magnæ Deum Matris .*
M . D . M . I .	*Magnæ Deum Matri Idææ .*
M . D . V .	*Minus Diebus* V .
M . E .	*Monumentum , vel Memoriam Erexit .*
M . E . M .	*Municeps Ejus Municipii .*
MERC . AVG .	*Mercurio Augusto .*

MERV.	*Meruit.*
M. F.	*Municipalibus Functus. Marci Filio Cl. II. 3.*
M'. F.	*Manlii Filius.*
M. F. C.	*Monumentum, vel Memoriam Fieri Curavit.*
M. F. M. N.	*Marci Filius Marci Nepos.*
M. F. NESCA.	*Municipii Felicis Nescaniæ.*
M. G. L. Q.	*Memor Gratus Libertatis Quæsitæ.*
M. I. F. PETIT.	*Militiæ Jus Filiis Petitori.*
MIL.	*Miles. Militavit Cl. I. 64. 92. 177.*
MIL. CL. PR. MIS.	*Militi Classis Prætoriæ Misenatis Cl. I. 177.*
MIL. CL. PR. RAVENN... vel RAV.	*Miles Classis Prætoriæ Ravennatis Cl. I. 104. Cl. II. 22.*
MIL. Cl. S. S.	*Miles Classis Suprascriptæ Ibid.*
MIL. COH. IIII. PR.	*Militis Cohortis Quartæ Prætoriæ Cl. II. 20.*
MIL. IN. COH.	*Militavit in Coborte.*
MIL. LEG. III. ITAL.	*Militi Legionis Tertiæ Italicæ Cl. II. 13.*
MIL. LEG. S. S.	*Miles Legionis Suprascriptæ.*
M. I. V.	*Marcus Julius Valerius.*
M. L.	*Miles Legionis. Marci Liberta Cl. I. 138. Milites Locus.*
M'. L.	*Manlii Libertus.*
ML. CL. PR. RA.	*Miles Classis Prætoriæ Ravennatis Cl. II. 18.*

mmm 2

MM.	*Memoriæ, vel Mœstæ Memoriæ Cl. I. 107. Meritissimo. Municipium Mediolanense. Milites.*
MM. A.	*Memoriæ Æternæ.*
M. MAN.	*Marcus Manlius.*
M. M. ET. Ↄ. L.	*Marcorum Duorum Et Cajæ Libertus.*
M. M. L.	*Marcorum Duorum Libertus.*
M. M. M. LIB.	*Marcorum Trium Libertus.*
M. N.	*Meo Nomine. Millia Nummum. Marci Nepos.*
M'. N.	*Manlii Nepos.*
M. NF. L.	*Manifestus Locus.*
MO.	*Monumentum.*
M. P.	*Marcus Pacuvius. Memoriam, vel Mensam, vel Monumentum Posuit Cl. II. 19. Millia Passuum. Municipii Patronus.*
M. P. $\overline{II}$.	*Millia Passuum Undecim.*
M. POP.	*Marcus Popilius.*
M. P. V.	*Millia Passuum Quinque.*
M. R. vel $\overline{M}$. $\overline{R}$.	*Miles Romanus. Militiæ Ravennatis. Municipii Ravennatium, aut Ravennatis Cl. I. 41. 63. Cl. III. 28. & passim.*
M. REG.	*Militiæ Regiensium.*
M. R. S. F. C.	*Moe Rens Suæ Fecit Conjugi.*
M. R. T.	*Me Ren Ti.*

MS .	*Majestati . Mensibus , vel Menses .*
M . S .	*Municipium Sassinatium .* My*sia Superior .*
M̄ . S̄ . B . M .	*Magistro Suo Bene* M*erenti . Cl. I.* 152.
M . S . D . D .	*Municipes Sui Decreto Decurionum .*
M . S . P .	*Memoriæ Suæ Posuit .*
M . T .	*Municipium Tarraconense . Marcus* Tullius . Med*i Terraneum .*
M . V .	*Mucius .*
MV . F .	*Mucii Filius .*
MVL .	*Mulier .*
MVN .	*Municipium Municeps .*
MVN . RAVEN .	*Municipii Ravennatis Cl. I.* 91.
MVN . SASS .	*Municipii Sassinatis .*
M . V . M .	*Marcus Valerius Maximus , vel Martialis .*
M . VIC .	*Municipium Vicetinum .*
M . X .	*Menses Decem .*

N

N .	*Noster . Neptunus . Numerarius . Natione Cl. I.* 217. *Numerius . Numerus . Nautæ . Nævius . Novius . Non , vel Nonius . Nato Cl. I.* 74. *Nepos . Nummum Cl. I.* 99.

N̄ .	*Nummismatis . Nummus . Nostro Cl. I. 28. Natione Cl. I. 82. 96. 97. 222. &c. Nomini Cl. I. 76.*
NA .	*Natione Cl. I. 219. 221. 310. &c.*
NAC .	*Nactus .*
N . AGR . AM .	*Numeratus Agri Ambitus .*
NAT .	*Natalis . Natalicia . Natione . Cl. I. 84. 88. 93. &c.*
NAT . BES .	*Natione Bessus Cl. I. 101.*
NAT . GAL .	*Natione Gallus .*
NATOR .	*Natorum .*
NAV . vel NAV .	*Naves . Nauphylace Cl. I. 215.*
N . B .	*Numeravit Bivus , idest Vivus .*
N . CL .	*Nero Claudius .*
N . C . M . M .	*Numerius Cajus Duo Marti .*
N . DAL . vel DEL .	*Natione Dalmata , vel Delmata .*
NEP .	*Nepos Cl. III. 77. Neptunus .*
N . E . P . D . I .	*Nomini Ejus Ponendum Dicandumque Jusserunt .*
NEP . RED .	*Neptuno Reduci .*
NEP . S . vel SAC .	*Neptuni Sacellum , vel Neptuno Sacrum .*
NEPT .	*Neptuni . Clas. III. 62.*
NEPTVN .	*Neptunalia .*
NER .	*Nero .*
NESCA .	*Nescania .*
N . F . C .	*Nostræ Fidei Commissum .*
N . F . N .	*Nobilis Familiæ Natus .*

N . H .	*Notus Homo .*
N . I .	*Nomine Ipsius .*
N . I . D .	*Nummum Mille . Decurionibus .*
N . I . O . T .	*Numini Jovis Olympii Tonantis .*
N . K . C .	*Non Calumniæ Caussa .*
N . L .	*Nominis Latini . Non Licet .*
N . L . F .	*Numerii Lucii Filia .*
N . MACR .	*Nonius Macrinus .*
N . ME . $\overline{\text{VI}}$.	*Natus Menses Sex .*
N . M . N . S .	*Novum Monumentum Nomine Suo .*
N . M . Q . E .	*Numini Majestati Que Ejus* Cl. I. 305.
N . M . Q . E . D .	*Numini Majestati Que Ejus , sive Eorum Devotus .*
N . MONVM .	*Novum Monumentum .*
N . M . T .	*Noricum Medi Terrancum .*
N . N . vel $\overline{\text{NN}}$.	*Nostri . Duorum Numeriorum . Nomen , vel Nomine . Nostrorum* Cl. III. 89.
NOB .	*Nobis . Nobilis .*
NOBB .	*Nobilibus .*
NOB . G .	*Nobili Genere .*
NOM .	*Nomine* Cl. I. 267.
NON . vel $\overline{\text{NON}}$.	*Nonarum* Cl. I. 56. 187. *Nonis* Cl. II. 17.
NON . TRAS . H . L .	*Non Transilias Hunc Locum .*
$\overline{\text{N}}$. PAN .	*Natione Pannonio* Cl. I. 64.
N . P . C .	*Nomine Proprio Curavit .*

N . Q.	*Nusquam . Nunquam .*
NR .	*Nero .*
N . R .	*Nostræ .*
N . T'. M .	*Numini Tutelari Municipii .*
NVM . DOM . AVG .	*Numini Domus Augustæ .*
NVP .	*Nuptias .*
N . VER .	*Natione Veronensis .*

O O

O .	*Optimo . Oportet . Ollio Clas. III. 49.*
OB . AN . L .	*Obiit Anno Quinquagesimo .*
OB . C . S .	*Ob Cives Servatos .*
OB . HON .	*Ob Honorem .*
OB . HON . AVGVST .	*Ob Honorem Augustalitatis .*
OBMER .	*Ob Merita Cl. II. 29.*
OCR .	*Ocriculana Tribu .*
OCT .	*Octobris Cl. I. 203.*
O . D . S . M .	*Optime De Se Merito , vel Merenti .*
O . E .	*Ollam Emit .*
O . E . B . Q . C .	*Ossa Ejus Bene Quiescant Condita .*
OF .	*Officinarius Cl. I. 261.*
O . H . S . S .	*Ossa Hic Sita Sunt .*
O . M .	*Optimo Maximo .*
O . M . E .	*Optio Magistri Equitum .*
O . M . H .	*Optimo Maximo Hammoni .*
O . M . T .	*Optimo Maximo Tonanti .*
O . O .	*Olla Ossuaria .*

OP.	*Opiter. Opinio. Opifera. Optimo. Oportet.*
O. P.	*Optimo Principi.*
O. P. D.	*Olla Publice Data.*
O. P. F.	*Optimo Patri, vel Patrono Fecit.*
OPP.	*Oppidum.*
OP. PRIN.	*Optimo Principi.*
OPTS. DOL.	*Opus Doliare.*
OPT.	*Optio Cl. I. 213. Cl. II. 40. Optimæ Cl. III. 21.*
ORD. RET.	*Ordine Retrogrado.*
O. S. E. H. N. S.	*Ollarum Series (vel Schola) Externum Heredem Non Sequitur.*
